

TUDIA LUCANEA



COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

NILS LUNDQVIST

LIC. PHIL. NAT. SUD.-NER.

IN AUDITORIO IV A. D. IV NON. MAI.

H. A. M. S.

HOLMIAE

TYPIS DESCRIPSERUNT P. A. NORSTEDT & SÖNER

MCMVII

STUDIA LUCANEA

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

NILS LUNDQVIST

LIC. PHIL. NAT. SUD.-NER.

IN AUDITORIO IV A. D. IV NON. MAI.

H. A. M. S.

HOLMIAE

TYPIS DESCRIPSERUNT P. A. NORSTEDT & SÖNER

MCMVII

Lucani librum, in quod opus recte constituendum penitusque explicandum iam multi et doctissimi uiri operam studiumque contulerint, hac commentatione tractare mihi in animo est. Ac mihi quidem, cur ita mihi faciendum censerem, causae fuere hae: primum in Lucani sermonis usum inquirere non inutile fore putaui, si quis cognoscere uellet, quomodo et qua uia sermo Augusteae aetatis gradatim uarie mutatus esset. Omnium enim argenteae, quae dicitur, aetatis poetarum epicorum, quorum quidem opera maiore quadam ex parte nobis seruata sunt, Augusteis aetate proximus fuit Lucanus. Atqui ad temporum et modorum usum Lucaneum uniuerse eruendum quod idoneum esset, nemo adhuc elaborauit. Tractarunt quidem et Koerber (De Lucani usu syntactico, Petropoli 1874) et Obermeier (Der sprachgebrauch des M. Annaeus Lucanus, I, München 1886) quaestiones nonnullas Lucanei sermonis, sed ad alias fere partes pertinentes. Temporum usum Obermeier quidem summatim tantum attigit (libelli sui paginis 75—78) idque solum, si quid in sententiis primariis de ea re monendum fuit; atque adeo artis spatii finibus ea pars eius operis circumscripta est, ut pauca tantum in quaestionem uocare licuerit eaque breuius quam pro re expediri fuerit necesse. De usu infinitiui Lucaneo egit J. Schmidt (Halis 1881); ad rationem grammatices illustrandam quae pertinerent, pauca tractauit W. E. Heitland Anglus in ea praefatione, quam editioni Haskinsianae (a. 1887) praefigendam composuit; ubi praeterea de stilo et poetico Lucanei operis colore optime sane egit, uix ut de ea re melius scribi posse uideatur.

In textu uero constituendo doctissimi uiri maxime desudarunt, sunt enim codices et permulti et uarie inter se dissident et multimodis sunt correcti et minoribus maioribusue interpolationibus corrupti aut sunt aut certe esse uidentur. In

codicibus uero perscrutandis nonnihil profecerunt docti uiri, nec tamen ut de multis adhuc ambigi mirandum sit. Nam difficillimum sane est de Lucanei operis codicibus indicium. Quo factum est praecipue ante nostram memoriam, ut nonnulli codicibus quamuis diligenter collatis quidquam se profecturos desperantes coniecturis faciendis operam darent, quam ne multi totam perdiderint, ualde uereor. Quod quum in dies magis inter doctos conueniat codicum esse plerumque firmissimum subsidium ad genuinum librorum textum constituendum, tum permagni esse momenti interpretationem apparet. In qua aequam et scriptoris ingenio temporibusque accomodatam adhiberi normam par est. Mitto, quod prius poetae sermonis usus probe cognoscendus erit; sed quanam ratione carminis sui componendi usus sit poeta, non minus impensa opera quaerendum esse uidetur. Atque in Lucano, poeta et ingenio et disciplina omnium epicorum Romanorum uel maxime rhetorico, cui et natura parum inuentionis insita esset et materies modum admodum artum imponeret, hoc inuenire non nimis difficile esse credo. Ubi duo imprimis elucent: primum ei esse sententias quasdam et ideas, quibus quasi fundamentis totum opus nitatur — quas »Leitmotive» appellant —, ad quas Lucanus reuoluitur identidem ut orator causam agens; deinde per antithesin connexas singulas sententias Lucano esse in deliciis. Quae summa cura eruta et rite in singulis rebus interpretandis considerata saepius obscuris locis lumen satis clarum allatura esse mihi persuasi.

Quod si hoc opere iniquioribus temporum condicionibus ad finem perducto ad Lucani textum recte constituendum atque ad eorum temporum sermonis usum cognoscendum aliquid modo contulero, non frustra operam insumpsero. Fatendum uero mihi est in digerendis rebus, quae ad rationem grammatices pertinent, egregie me adiutum esse ea dissertatione, quam studia in Valerium Flaccum inscriptam a. 1899 edidit J. Samuelsson (Upsaliae).

I. De modorum ac temporum in liberis sententiis usu.

A. Indicatiuus: de usu temporum.

Praesens: Hoc tempus aliquid iam fieri, accidere, esse uel narrando uel describendo significat; ex. gr.
I 32

alta sedent ciuilis uolnera dextrae.

Quod quum tempus praesens re uera indefinitum sit, iure adhibetur praesens, ubi sententia enuntianda est generalis, qua, quid* semper aut plerumque fiat (sit) ostendatur; uelut
I 81

in se magna ruunt.

Hic praesentis usus in deliciis est Lacano, poetae, sententiarum breuium ceterique rhetorici ornatus amantissimo.

Contiguus est praesentis usus ille, qui similium proprius esse uidetur:
II 187

sic mole ruinae
fracta sub ingenti miscentur pondere membra,
nec magis informes ueniunt ad littora trunci,
qui medio periere freto.

Cfr IV 237 sqq.; 437 sqq.; V 436 sqq.; VI 208 sqq.; 220 sqq. cett.

Tali uero sensu et perf. adhibetur nonnumquam; de qua re uide infra.

Nonnusquam praes. et perf. uicissim se excipientia uidemus; uelut I 151 sqq.; II 21 sqq.; IX 284 (Obermeier perperam IV 238 sq.).

---

* Huius usus origo unde repetenda sit, ambigunt grammatici; cfr Blase Hist. Gramm. p. 102 (III 1).

Ad uulgatam praesentis uim prope accedere uidetur praesens illud, quod actionem praeterito tempore coeptam etiamnunc permanentem inducit:

I 299

bellorum o socii, qui mille pericula Martis
mecum, ait, experti decimo iam uincitis anno*

Alia exempla sunt V 385 sq.; 423.

Praesens item adhibetur de actione praeterito tempore perfecta, cuius etiamnunc permanet effectus; uelut

I 277

at postquam leges bello siluere coactae,
pellimur e patriis laribus

IX 1016

rex tibi Pellaeus belli pelagique labores
donat et, Emathiis quod solum defuit armis,
exhibet

Eodem modo, quo Graeci utuntur uerbis *ἀκούω, πυνθάνομαι, γιγνώσκω,* Latini scriptores nonnumquam uerba audiendi adhibent:

I 558

dirasque diem foedasse uolucres
accipimus

Exemplum sane notandum, unde apparet in tali re duas facile structuras scriptoris animo obuersari, exstat

IX 1019

Thessalicas quaerens Magnus reparare ruinas
ense iacet nostro

Hic *cecidit* uerbum quasi loco detrusum uidemus uerbo, quod est *iacet.*

Vis perdurationis, qua nec principium nec finis actionis respicitur, — quam actionis condicionem »kursive Aktionsart« appellant — in praesente illo, quod uocatur de conatu, agnoscitur probe.

Voce peculiari aut uerborum inter se nexu indicatur actionem ad finem perductam non esse; uelut

---

* Talibus locis temporis indicandi causa ablatiuum Lucanus usurpat.

I 350
nam neque praeda meis neque regnum quaeritur armis:
detrahimus dominos urbi seruire paratae.
III 33
abscidis frustra ferro tua pignora.
III 360
iam non excludere tantum
inclusisse uolunt. at enim contagia belli
dira fugant.
X 358
interque maritos
discurrens Aegypton habet Romamque meretur.

Non eos audio nec, quid sibi uelint, satis intelligo, qui hanc uim uerbo ipsi subesse dicunt; est profecto haec uis, etsi a sententiarum inter se iunctura quadam ex parte pendere uidetur, stirpi temporali peculiaris et praesenti cum imperfecto communis, cui tempori praesens et alioquin contiguum esse uidetur.

Aliud quidem praesentis genus nec tamen a uulgari praesentis ui ita ualde diuersum est praesens, quod uocant historicum.

Praesens in re praesenti et narrandi et describendi causa adhiberi supra diximus. Quod in historico quoque praesente ualere apparet, sed, utrumcumque fit, semper res ad praeteritum tempus pertinentes, tamquam si praesentes sint, subiciuntur sub oculos.

Saepe praesens et perf. idem fere ualere uidentur, uix ut inter tempora illa discrimen certum constituere conanti operae pretium sit. Sed saepissime aliquid tamen interesse apparet; etenim praesens — quo tempore quasi depictae res sub oculos subiciuntur — in actione narranda peculiariter adhibetur ad singula referenda, quae per se actionum ordini nihil addant. Ubi praes. hist. est tempus narrando describentis; uelut I 584 sqq.; III 153 sqq.; IV 172 sqq.; VI 29 sqq.

III 153 sqq.
protinus abducto patuerunt templa Metello
tunc rupes Tarpeia sonat magnoque reclusas
testatur stridore fores; tunc conditus imo
eruitur templo multis non tactus ab annis

Romani census populi, ...

. . . .

tunc Orientis opes captorumque ultima regum
quae Pompeianis praelata est gaza triumphis,
egeritur; tristi spoliantur templa rapina,
pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma.

Quae quum ita sint, mirandum non est perfectum nonnumquam significare causam, praesens id quod re consequitur; uelut

I 569

tunc fragor armorum magnaeque per auia uoces
auditae nemorum et uenientes comminus umbrae,
quique colunt iunctos extremis moenibus agros,
diffugiunt.

III 711

glande petens solido fregit caua tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
uincula, procurrunt oculi, stat lumine rapto
attonitus mortisque illas putat esse tenebras.

IX 773

dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
uiscera

Conferre licet IX 790 sqq., 815 sqq. ubi de morte anguium morsu allata agitur. Inuersae uices sunt, nec tamen temere, ut uidetur,

I 394

sparsas per rura cohortes
euocat et Romam motis petit undique signis.
deseruere . . . . *liquerunt* . . .

III 666

impia turba super medios ferit ense lacertos:
bracchia linquentes Graia pendentia puppe
a manibus cecidere suis.

IV 235

sic fatur et omnis
concussit mentes scelerumque reduxit amorem.

Quod de horum temporum in Lucaneo opere inter se ordine et uariatione affirmauit Obermeier (l. l. p. 75), si in narrando se excipiant perf. et praes. hist., uulgo praecedere perf., uix

potest firmari. In uersibus mille quingentis, quos examinaui, tricies praecedit praesens, uicies quinquies perfectum. Sed eiusmodi numerorum rationi non multum tribuendum est, nam et quid eligendum sit quid praetermittendum, haud facile discernas, et metri necessitati seruisse poetam nonnumquam suspicari possumus, et effectum quendam poeticum affectans poeta praesens saepius usurpasse uidetur. Sed sententiam ab Obermeiero latam sustineri non posse constare uidetur. Atque etsi negari non potest Lucano in deliciis esse praesens historicum, non ideo concedendum uidetur aut praesens historicum Lucano fuisse legitimum et proprium narrandi tempus aut omne illorum temporum discrimen iam tum euanuisse. Ad eam rem iudicandam operae pretium erit inquirere, quomodo temporibus illis utatur Lucanus, in breuiore digressione siquid narrandum est. Ubi quietiori narrandi generi locum esse apparet. Cfr ex. gr. V 71—85, ubi origo oraculi Delphici narratur. Eo loco nullum praesens historicum inuenitur. IX 619—699, ubi exponitur, quaenam sit causa, cur abundet Libye serpentibus, praesens hist. non fere adhibetur nisi in descriptionibus aut in narratione uiuidiore (cfr uu. 634—637; 672—677); X 272—282, ubi de regibus caput Nili noscendi cupidis agitur, nullum certum praesens inuenitur; cfr II 68—133, ubi memoria repetuntur tempora Marii; praesens non fere nisi locis uiuidioribus exstat. Idem dicendum est de uersibus sequentibus, 134—220, ubi Sullanorum crudeliter facta commemorantur. Item VI 381—412, ubi de antiquissimis Thessaliae temporibus uerba facit poeta; cfr IX 19—35, ubi breuiter commemoratur, quae antea egerit Cato; usurpantur imperfecta et perfecta, tum uero uersibus 30 sqq., ubi ad relationem pergit poeta, adhibetur praesens *petit*. IX 128—139, ubi Sextus Pompeius fratri nuntiat mortem patris, nullum praesens hist. adhibetur. Quibus omnibus locis cogitare de perfecto plusquamperfecti sensu usurpato non licet. — Sed praesens quoque historicum interdum liberius usurpatur, ita, ut non in continua et incitata narratione exstet, sed in breui* rei praeteritae commemoratione praecipue per pronomen relatiuum interecta. Non potui mihi persuadere iure Madvigum arbitrari eiusdem gradus

* De qua re disputauit Madvig Opusc. Academ.[2] pp. 579 sq.: cfr Blase l. l. p. 107 et eas doctorum sententias, quae ibi afferuntur.

esse ea praesentia, quae significent etiamnunc permanentem effectum actionis praeterito tempore perfectae, et ea, quae nulla rerum societate cum praesenti tempore connecti uideantur. Neque enim contigua esse uidentur Lucan. I 278 *pellimur e patriis laribus* et Verg. Aen. II 275 *ei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore qui redit exuuias indutus Achilli.* aut Horat. Sat. I VI 13 . . . *Valeri genus, unde Superbus | Tarquinius regno pulsus fugit . . .*

In sententia, quae particula explicatiua *quod* inducitur, a perfecto pendente perfectum excipitur praesente historico
III 388

iam satis hoc Graiae memorandum contigit urbi
. . quod . . . tenuit . . . uincitur . . .

In interrogatione obliqua subiecta praesenti semel exstant praesentia (coni.)praeteritas actiones significantia VII 617—631. Conferendus est locus unus, qui infinitiuum praesentis de re praeterita exhibet,
IX 679

quanto spirare ueneno (*spirasse* Z G)
ora rear, quantumque oculos effundere mortis!

Ubi disputatur, quamnam rationem inter perf. et praes. hist. intercedere rationem arbitremur, haud ab re erit de uerbis orationem rectam claudentibus pauca dicere. De qua re Obermeier breuiter (l. l. p. 76) egit. Haec explorans duodetricies (28) inueni ptcp., plerumque perf. — Saepius absonum sane in modum usurpatum: uelut VII 746 sq. (V U Bz codicibus si quam fidem addamus); VIII 453 sq.; VIII 105 sqq.; cfr I 291 sqq., ubi inuenitur *postquam* —; raro enuntiatum temporale, quinquies (5) perfectum (IV 167; VIII 146; 582; IX 283; 616); plqpf. octies (8) (I 352; III 141; 355; IV 363; VI 624; VII 608; IX 165; X 193); quinquiesdecies (15) praesens I 695; II 63; 284; 323; 516; 648; III 97; IV 235; V 538; 560; VI 246 sq.; VII 123; 666; VIII 192; IX 125); impf. bis (2) tantum (I 637; II 232). Sed priusquam de huius praesentis ui et usu disputamus, et plusquamperfecti et perfecti exempla excutere melius erit. Ac plqpf. tum solum adhiberi inueniemus, ubi mutatur subiectum in sententia sequenti; quod haud sane abhorrere uidetur ab usu uulgato plusquamperfecti significantis eum rerum statum, unde noua actionum series quasi proficisci-

tur; cfr praecipue III 141, ubi sequitur *quum* »inuersum«. Post plqpf. clausulae paruola igitur pausa fieri uidetur. Hoc si uerum sit, temere Obermeier affirmare uidetur hoc: »Das Plusquamperfect . . . . . . ist vorherrschend metrischen Gründen zuzuschreiben». Hoc ita, ut exposuimus supra, se habere etiam magis credi poterit, si perfecti eiusmodi usum scrutati erimus: atque perfectum usurpari uidemus, ubi non mutato subiecto uno tenore continuatur actio; uelut

IV 167

dixit et ad montis tendentem praeuenit hostem.

IX 283

dixit et omnes

. . . . *medio reuocauit ab aequore puppes*

IX 616

dixit dubiumque uenenum

hausit

Unum tantum plusquamperfecti exemplum regulam migrat,

VI 624

dixerat et noctis geminatis arte tenebris
maestum tecta caput squalenti nube pererrat
corpora caesorum

Sed hoc loco magici horroris pleno ad uim grauitatis intendendam pausa apte poni poterit post *dixerat*, praecipue quum uerbis, quae sunt *geminatis arte tenebris*, dirimuntur uerba *dixerat* et *pererrat;* quod tempore quoque inter utrumque cadere necesse erit. Fortasse dixerit quispiam regulam migrare alterum quoque exemplum,

IX 165

dixerat et classem saeuus rapiebat in undas;
sed Cato laudatam iuuenis compescuit iram.

Sed hoc totum sanum est exemplum, hic enim usu admodum frequenti plusquamperfecto et imperfecto coniunctis per particulam aduersatiuam opponitur perfectum, cuius nouum est subi.; cfr *at* noui aliquid inducens I 352; IV 363; VII 608.

Regulam illam, quam attulimus de perfecto talibus locis adhibito, unum tantum exemplum excedere uidetur,

VIII 582

dixit; sed surda uetanti
tendebat geminas amens Cornelia palmas

Sed h. l. sequitur impf., quo indicetur, quomodo loquente marito se gesserit Cornelia. Praesens uero, ut quo tempore et narrandi et describendi uis contineatur, in se utrumque recipit usum.

Ad plusquamperfecti uim propius accedunt II 63; 284; 648; VIII 192; IX 125.

II 284

sic fatur; at illi
arcano sacras reddit Cato pectore uoces.

Perfecto similiora sunt II 323; 516; III 97; IV 235; V 560; VII 123; 666.

II 516

fatur et astrictis laxari uincula palmis
imperat.

Neutram speciem clare expressit V 538 sqq.

Seorsum tractandus uidetur locus unus,

VI 236

***simul** haec effatur **et** altus*
Caesareas puluis testatur adesse cohortes.

De altero quoque loco dubitandum,

I 695

haec ait, et lasso iacuit deserta furore.

In hoc tam trito orationis rectae uerbo uix licet quidquam certi affirmare, quamquam praesentis esse formam constat.

Imperfecti exempla sunt

I 637

flexa sic omina Tuscus
inuoluens multaque tegens ambage canebat.

II 232

sic maesta senectus
praeteritique memor flebat metuensque futuri.

Ambobus locis — qui sibi simillimi sunt — impf. complectens fuse atque otiose quodammodo describit orationem antecedentem. Ac languescens quasi paulatim desinit narratio, quae tum longa intermissa pausa prorsus aliter incipit denuo.

Iam ad alterum illum praesentis historici usum transeo, quo praesens ad rem describendam adhibetur. Sed ubique res quasi sub oculos subicere studet poeta (cfr Blase l. l. p. 106). Cfr ex. gr. II 354; IV 11—21; 324—336; IX 634 sqq.

Vix opus erit mihi monere ita usurpatum praesens et impf. saepe excipere se inuicem; ex. gr. I 618 sqq.; III 399—425; X 111—135; IX 633 (describitur caput Medusae)

ipsa flagellabant gaudentis colla Medusae.
surgunt aduersa subrectae fronte colubrae,
uipereumque fluit depexo crine uenenum.

In sententia, quae particula explicatiua, quae est *quod*, inducitur, praesens hist. semel inueni de qualitate natura insita, IV 598

hoc quoque tam uastas cumulauit munere uires
terra sui fetus, quod, quum tetigere parentem,
iam defecta uigent reuocato robore membra.

Restat ut de praesente futuri uicibus fungente pauca afferamus. De hoc futuri apud priscos comicos usu egit H. Sjögren[1] pp. 6—39.

Recte Blase l. l. p. 108: »Der futurale Charakter des Präsens ergibt sich immer aus dem Zusammenhang der Rede oder Situation. Oft weisen Adverbia wie . . . . darauf hin, oft auch eine benachbarte futurale Verbalform.» Ubique adeo uehementer animo loquentis obuersantur futurae res, ut quasi praesentes uideantur; cfr uaticinationem matronae diuino numine instinctae I 678 sqq. Lucanea exempla non admodum conspicua sunt:

I 1

Bella per Emathios plus quam ciuilia campos
iusque datum sceleri[2] *canimus*

= »Ämnet för min sång är . . . .»

I 286

nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
excipit

I 373

nec ciuis meus est, in quem tua classica, Caesar,
audiero.

II 283

nunc neque Pompei Brutum nec Caesaris hostem,
post bellum uictoris habes.

[1] Inscribitur liber ille Zum Gebrauch des Futurums im Altlateinischen (Uppsala 1906).

[2] Exempla futuri et praesentis de prooemiis epicorum carminum sumpta collegit Samuelsson l. l. pp. 6 sq.

II 318

post me regnare uolenti
non opus est bello.

II 346

non me laetorum comitem rebusque secundis
accipis

IV 486

decernite letum,
et metus omnis abest

V 486

numquid inexperto tua credimus arma profundo,
inque nouos traheris casus?

VII 113

uincis apud soceros uotis me, Caesar, iniquis:
pugnatur.

Pugnatur = »pugna iamiam adest.»

VII 592

nil proficis istic
Caesaris intentus iugulo

VII 612

liber ad umbras
et securus eo

VII 695 (in sent. rel.)

sed par, quod semper habemus,
libertas et Caesar erit

VII 815

quocumque tuam fortuna uocabit,
hae quoque sunt animae

Ita Hosius secutus codices M V G; Haskins *eunt* cum codicibus B U; Postgate, cui astipulatur Francken, coniecit *erunt*, ingeniose.

VIII 415

ceu pridem debita fatis
Assyriis trahitur cladis captiua uetustae.

VIII 634

natus coniunxque peremptum,
si mirantur, amant.

VIII 749

si quid sensus post fata relictum,
cedis et ipsa rogo paterisque haec damna sepulcri

IX 238

sub iura togati
ciuis eo. quisquis Magno uiuente secundus,
hic mihi primus erit

IX 382

uadimus in campos steriles exustaque mundi

Sequiture praesen post futura:

I 668

multosque exibit in annos
hic furor. et superos quid prodest poscere finem?
cum domino pax ista uenit.

IX 560

iure suo populis uti legumque licebit,
an bellum ciuile perit?

An hic praesentis usus legitimus est? = »eller föra vi kriget förgäfves?» Sequuntur futura

V 194

effugis ingentes tanti discriminis expers
bellorum, Romane, minas solusque quietem
Euboici uasta lateris conualle tenebis.

Locus his dissimilis attamen hic tractandus esse uidetur

VIII 626

Ignorant populi, si non in morte probaris,
an scieris aduersa pati.

Hic res duae animo scriptoris obuersatae sunt: 1) ignorant, 2) ignorabunt semper, si non . . probaueris. Exemplum prorsus contrarium est

V 665

nec sciet hoc quisquam, nisi tu, quae sola meorum
conscia uotorum es, me, quamuis plenus honorum
et dictator eam Stygias et consul ad umbras,
priuatum, Fortuna, mori.

E duobus enuntiatis, quae obuersata sunt animo scriptoris: 1) nec sciet quisquam me priuatum mortuum esse. 2) tu, Fortuna, sola scis me p. mori. hic quoque posterius uicit illud, ut hoc simplicis sermonis proprium est. Post exempla prae-

sentis pro futuro in sententiis primariis usurpati afferenda duo exempla, ubi acc. cum inf. inuenitur; praes. inf. pro futuro: Domitius suos pontem rescindere iusserat, ut opposito amne rapido ab oppugnanda urbe arceretur Caesar:

IV 491

deuoluit rapidum nequidquam moenibus agmen.
nam prior e campis ut conspicit amne soluto
rumpi Caesar iter . . . .

IV 160

quibus hoste potito
faucibus emitti terrarum in deuia Martem
inque feras gentes Caesar uidet.
. . . .
dixit et ad montes tendentem praeuenit hostem.

Ubi agitur de Caesare haec uidente et cogitante, in participio (= sent. condicional.) nihil inest contra uerum ficti. Sed ex euentu cognito postea in tales sententias insinuat se uisquaedam irrealis. Conferendae sane structurae, quales sunt Tacit. Hist. IV XIII *cui excidium aduentabat, si redintegratum bellum et tot armatorum milia Italiam irrupissent.* Tacit. Hist. IV XVII . . . *si destinata prouenissent, ualidissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat.*

Hic usus praesentis pro futuro quam late in secundariis quoque enuntiatis pateat, haud alienum erit cognoscere. Lucanea exempla haud rara sunt;

V 158

et nobis meritas dabis, improba poenas
et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris
deque orbis trepidi tanto consulta tumultu
desinis ipsa loqui.

V 533

si iussa secutus
me uehis Hesperiam, non ultra cuncta carinae
debebis

V 571

si murmura ponti
consulimus, cori ueniet mare.

V 658

quamcumque datis mihi numina mortem,
accipiam.

VIII 379

Magnus, nisi uincitis, exul

IX 212

et mihi si fatis aliena in iura uenimus,
fac talem, Fortuna, Iubam.

Incertus locus est VIII 311 sqq.

In re positum est praesens relatiuae sententiae
IX 241

dominum, quem clades cogit, habebo.

Codices P C Z *coget* exhibent.

Futurum tempus interdum respicere uidetur praesens, si adhibetur in interrogationibus rhetoricis indignationem aut admirationem exprimentium. De qua re uide infra in excursu.

Exemplum praesentis ind. pro* coniunctiuo uere deliberatiuo adhibiti apud Lucanum non inueni. Coniunctiui dubitatiui uel potentialis uicibus fungi uidetur praes. ind.
II 642

quid plura moror?

Hic collecta afferre libet exempla incerta aut quae in sua genera digerere difficile sit; uelut
VIII 441

quin respicis orbem
Romanum? si regna times proiecta sub austro
infidumque Iubam, petimus Pharon aruaque Lagi.

V. 443 praes. ind. pro hortatiuo coniunctiuo adhiberi uidetur; sed cogitari potest de praesente (pro futuro) significante eam actionem, quae dicto citius fiet.
IX 1031

si scelus est, plus te nobis debere fateris,
quod scelus hoc non ipse facis.

Non ipse facis = »non ipsi tibi faciendum est».

Praesens pro futuro praeteriti adhiberi uidetur

---

* De hoc indicatiui praesentis usu cfr Samuelsson l. l. p. 7 (in nota laudantur grammatici, qui hunc usum tractarunt); item cfr Blase § 6 anm. (p. 112).

III 607

tenet ille dolorem
semper et amissum fratrem lugentibus offert.

Vis quaedam aoristica, ut ita dicam, agnoscitur

V 253

qui tot gentis in bella trahebat,
scit (= får veta) *non esse ducis strictos, sed militis, enses.*

IX 906

*qui Phoebo cessere, iacent**

Excursus: De interrogationibus et exclamationibus indignationem aut admirationem exprimentium.

Hic tria imprimis tempora usurpari inuenimus: praes. ind., fut. ind., praes. coniunctiui dubitatiui uel deliberatiui. Ubi duae interrogationes rhetoricae componuntur, quo maior e contrario uis accedat posteriori, in priore alia quoque tempora nonnumquam adhiberi uidemus. Exempli gratia afferre licet Vergilianum locum notissimum,

Verg. Aen. I 39 sqq. *Pallasne exurere classem . . . potuit . . . ? . . .*
Ast ego . . . una cum gente tot annos bella gero?!

Lucan. VIII 269

an Libycae Marium potuere ruinae
erigere in fasces et plenis reddere fastis?
me pulsum leuiore manu fortuna tenebit?

Idem fere ualet priore loco posita affirmatiua sententia; uelut

VII 451

astra Thyestae
impulit et subitis damnauit noctibus Argos:
tot similes fratrum gladios patrumque gerenti
Thessaliae dabit ille diem?!

IX 1075

non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
te, Ptolomaee, feram?

* Conferre licet IX 99
deceptaque uixi
Hoc idem ualet quod «*dolo uitae seruata sum*».

Conferre licet IX 263

potuit uestro Pompeius abuti
sanguine: nunc patriae iugulos ensesque negatis,
quum prope libertas?!

Ubi facile auditur uera protasis interrogationis.

Praesens excipitur futuro:

V 328

anne fugam Magni tanta cum classe secuntur
Hesperiae gentes, nobis uictoria turbam
non dabit . . . ?

Futura se excipiunt:

II 292

gentesne furorem
Hesperium ignotae Romanaque bella sequentur
diductique fretis alio sub sidere reges?
otia solus agam?!

V 311

. . . . *hos ante pigebit*
sanguinis? his ferri graue ius erit? ipse per omne
fasque nefasque rues?!

VII 449 (sed hoc exemplum uno ordine cum ceteris uix habendum)

scilicet ipse petet Pholoen, petet ignibus Oeten
immeritaeque nemus Rhodopes pinusque Mimantis:
Cassius hoc potius feriet caput?

Simplices interrogationes inueniuntur: Praesens:

II 60

tantone nouorum
prouentu scelerum quaerunt, uter imperet orbi?!

II 523

in medios belli non ire furores
iamdudum moriture paras?

III 559

paterisne acies errare profundo
artibus et certas pelagi?! iam consere bellum

VIII 433

tu, quem post funera nostra
ultorem cinerum nudae sperauimus umbrae,
ad foedus pacemque uenis?!

VIII 550

tanti, Ptolomaee, ruinam
nominis haud metuis caeloque tonante profanas
inseruisse manus, impure ac semiuir, audes?!

VIII 658

o saeui, properantem in fata tenetis?!

X 343

in scelus it Pharium Romani poena tyranni
exemplumque perit?!

X 356

cessas accurrere solus*
ad dominae thalamos?!

Praesens futurum tempus haud dubie respicit:

VIII 349

patimurne pudoris
hoc uolnus, clades ut Parthia uindicet ante
Hesperias, quam Roma suas?!

VIII 533

nunc uictoris opes et cognita fata lacessis?!

VIII 545

ullusne in cladibus istis
est locus Aegypto, Phariusque admittitur ensis?!

Iniuria Francken huc numerare uidetur

I 307

quid? si mihi signa iacerent
Marte sub aduerso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, quum fortuna secundis
mecum rebus agat superique ad summa uocantes,
temptamur [?!]. *ueniat longa dux pace solutus*

Namque hic uerus sensus est: Wie schlimm würde es mir ergehen, wenn ich von den Gallern arg bedrängt von meinen

---

* *Cessas accurrere* = »iamiam accurre«. Ultro imperatiuus per irrisionem indignationem exprimit X 353; X 361.

X 353

tu mollibus, inquit,
nunc incumbe toris et pingues exige somnos:
inuasit Cleopatra domum.

X 361

crede, miser, puero

römischen Gegnern angegriffen worden wäre! Nun aber — glücklicherweise — greift man mich auf der Höhe kriegerischen Glücks an. So mögen sie denn meinetwegen kommen . . .!»

Futurum adhibetur:

a) res futuras spectant futura:

Ubi adhibetur prima persona, nonnumquam haud facile discernas, utrum sit praes. coni. an fut. ind.; sed de ea re uix operae pretium sit requirere, quum quod ad originem una atque eadem forma sit, quo factum esse credo, ut sensus genera in unum coalescere in promptu esset.

I 314

scilicet extremi Pompeium emptique clientes
continuo per tot satiabunt tempora regno?!

I 317

ille semel raptos numquam dimittet honores?!

I 364

dum pila ualent fortes torquere lacerti,
degenerem patiere togam regnumque senatus?!

II 522

Romamne petes pacisque recessus,
degener?!

IV 217

ibitis ad dominum damnataque signa feretis?!
utque habeat famulos nullo discrimine Caesar,
exorandus erit?!

II 292; de quo loco uide supra; item VIII 269 sqq.

VI 155

non ira saltem, iuuenes, pietate remota
stabitis?!

VIII 344

(te) deiectum fatis, humilem fractumque uidebit
extolletque animos Latium uaesanus in orbem
se simul et Romam Pompeio supplice mensus?!

IX 153

non ego Pellaeas arces adytisque retectum
corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?!
non mihi pyramidum tumulis euolsus Amasis
atque alii reges Nilo torrente natabunt?!

b) futuras res non significant futura:

I 316

ille reget currus nondum patientibus annos?!

Quod multos ante annos acciderat. Sed ad futurum h. l. efficiendum multum ualuere futura ex utraque parte contigua.

V 311 sqq. huc pertinere uidetur; iam enim exorta erat seditio. De quo loco uide supra.

VII 72

humani generis tam longo tempore bellum
Caesar erit?!

Erit = »indignum est tam diu Caesarem esse (fuisse) . . .«

De I 346 uide infra sub futuro.

Coniunctiui deliberatiui uel dubitatiui esse uidentur

VI 326

uictor tibi, Roma, quietem
eripiam, qui ne premerent te proelia fugi?!

VIII 392

tibi barbara tellus
incumbat? te parua tegant ac uilia busta?!

Imperfectum: Hoc tempore status rerum permanens describitur aut res refertur, quae ad actionum seriem nihil addat, siue uerbum rem explicat, siue causam affert, siue totum est relatiuum tempus significans, quid eodem tempore fuerit, quo facta est actio principalis.

Mere descriptiuum est impf.: Cfr. ex. gr. I 217; IV 85 sq.; IX 609 sq.; 626; X 112 sqq.

IX 609

stabant in margine siccae
aspides, in mediis sitiebant dipsades undis.

Impf. rem ante relatam explicat diligentius aut causam eius reddit:

Hunc usum priori contiguum esse apparet.

a) Explicandi causa adhibetur impf. ad indicandum

α) Qualia singula fuerint rei relatae; ex. gr.

V 541

nam sol non rutilas deduxit in aequora nubes
concordesque tulit radios: noton altera Phoebi,
altera pars borean diducta luce uocabat.

Metrum *uocauit* admitteret.

β Quomodo re uera se habuerit res; ex. gr.
IV 687

nec solum studiis ciuilibus arma parabat,
priuatae sed bella dabat Iuba concitus irae.

Metrum aeque admitteret perfecti formas *parauit* et *dedit.*
V 814

sed non superi tam laeta parabant:
instabat, miserae Magnum quae redderet, hora.

Metrum *pararunt* admittit. Sed h. l. relatiuum tempus esse uidetur.
IX 49

ast illae puppes luctus planctusque ferebant
et mala uel duri lacrimas motura Catonis.

Tulerunt formae in metro locus est.

b) Causam indicat impf.: Cfr I 98 sqq.; II 72 sqq.; III 429; VI 248 sqq.; VIII 672 sq.
III 429

sed fortes tremuere manus, motique uerenda*
maiestate loci, si robora sacra ferirent,
in sua credebant redituras membra secures.

Perfectum *crediděrunt* admitteretur metro; de »correptione» *stetěrunt* (IV 771) uide E. Trampe De Lucani arte metrica (Berolini 1884) p. 7.
VI 248

dedecus hic belli Magno crimenque remisit,
ne solum totae fugerent te, Scaeua, cateruae,
subducto qui Marte ruis; nam sanguine fuso
uires pugna dabat.

Metrum admitteret *dedit.*

Relatiuum tempus impf. est:

a) Significans, quid fuerit, dum fit actio ante commemorata:
I 231

uicinumque minax inuadit Ariminum, et ignes
solis lucifero fugiebant astra relicto.

Metrum admitteret *fūgērunt.*

* *Et, -que, atque* particulas apud Lucanum explicatiuo sensu saepius adhiberi constat: de qua re uide p. 33.

II 526

nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut immixto firmaret robore partes.

Cfr II 719 sqq.; III 220 sqq.; 726; V 75 sqq.; VI 575 sqq.; VIII 40 sqq.

b) Significat impf. id, quo incidit actio primaria, id, unde quasi proficiscitur rerum series:

Ex. gr. I 609 sqq.; III 1 sqq.; 40 sq.; 399; 726; IV 196 sqq.; 608 sqq.; V 504 sqq.; VI 138 sqq.; VII 423 sqq.; VIII 159 sqq.; 474 sq.; 560 sqq.; 721 sqq.; IX 428 sq.; 544 sq.; 975 sqq.; X 421 sqq.

VII 423

haud multum terrae spatium restabat eoae,
. . . .
sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiae funesta dies.

IX 975

securus in alto
gramine ponebat gressus: Phryx incola manes
Hectoreos calcare uetat; discussa iacebant
saxa nec ullius faciem seruantia sacri:
'Herceas', monstrator ait, 'non respicis aras?'

H. l. sententiae posteriores iis consimiles sunt, quae per »quum inuersum« induci solent. »Quum« sequitur saepe; uelut V 237

interea domitis Caesar remeabat Hiberis
. . . .
quum prope fatorum tantos per prospera cursus
auertere dei.

Nonnullis locis pro libera sententia sequitur condicionale enuntiatum irreale; uelut

II 616

nec tamen hoc artis immissum faucibus aequor
portus erat, si non uiolentos insula coros
exciperet saxis lassasque refunderet undas.

Cfr Verg. Georg. II 132 (Blase); de tota structura uide H. Blase Geschichte des Irrealis pp. 73 sq.; id. Grammatik § 22 (pp. 149 sqq.).

IV 344

si me degeneri strauissent fata sub hoste,
non derat fortis rapiendo dextera leto.

VIII 568

quod nisi fatorum leges . . . .
. . . . .
damnatum leto traherent ad littora Magnum,
non ulli comitum sceleris praesagia derant

Cognatum est id genus imperfecti, quod uocant »de conatu»; ubi opposita saepe sententia sequenti indicatur ideo perdurare actionem, quod non contingat, ut finem optatum nacta absoluatur. Pleraque exempla sub b) quoque afferre licet.

V 683

aut quae nos uiles animas in fata relinquens
inuitis spargenda dabas tua membra procellis?*

VIII 577

ibat in hostilem praeceps Cornelia puppim
. . . . .
. . . . 'remane, temeraria coniunx',

IX 165

dixerat et classem saeuus rapiebat in undas;
sed Cato laudatam iuuenis compescuit iram.

Restat ut de iteratiuo quoque imperfecto pauca dicamus; in quo genere actionis »linearis», ut ita dicam, plerumque inesse uis quaedam descriptiua uidetur. Exempla pauca afferre liceat:

III 701

hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
uictor et incolumis summas remeabat ad undas.

VIII 685

hoc leges Campumque et rostra mouebat,
hac facie Fortuna tibi Romana placebas.

Imperfecta plerumque in fine uersus collocantur.

Perfectum. Hoc tempus, quod ad formam attinet, constat coaluisse ex elementis et perfecti et aoristi primigeniae communis linguae. Quod ad uim et usum si cum aliis linguis

---

* Tale impf. in sententia condicionali exstare uidetur VII 645 sq. . . . *post proelia natis | si dominum, fortuna, dabas. et bella dedisses. Dabas* = »datura eras». Cfr notas Postgatei.

eiusdem stirpis (praec. graeca) contuleris, duas temporales stirpes conflatas esse item apparebit.

Perfecti primigenii uim sibi uindicare uidetur perf. quod uocant praesentis. Hoc perf. in praesens continuo mutare licet. Huic generi ascribenda sunt imprimis perfecta, qualia sunt *memini, odi, cognoui, mihi persuasi;* sed huiusmodi quoque exempla afferre licet:

I 650

extremi multorum tempus in unum
conuenere dies.

Conuenere = »una adsunt».

II 59

saeue parens, utrasque simul partesque ducesque,
dum nondum meruere, feri.

Sensus = »dum etiamnunc innoxii sunt».

Ceteri omnes perfecti usus aoristici esse mihiquidem uidentur. Quos perfecti historici nomine complecti liceat. Nam quod perf. »logicum» ut genus omnino sui iuris perfecto historico opposuerunt permulti, hoc haud scio an — nostro de nostris linguis iudicio tributum solum — a latinae linguae natura et ui plane abhorreat.

Plura genera discernere possumus.

Perfectum consuetudinis. Quod quum sero admodum apud latinos scriptores sensu perfecto et absoluto — dico »gnomico» — adhiberi coeptum esse uideamus idque imprimis apud* poetas, graecorum exempla ad hunc usum perficiendum nonnihil ualuisse credi potest. Recte mihi uidentur Riemann et Goelzer (Grammaire comparée du Grec et du Latin p. 277) uim primigeniam explicasse, qui quidem affirmant adhiberi hoc tempus »pour exprimer une vérité d'expérience démontrée par les faits». Saepe uidelicet res illae, quae documento esse possunt, praeteritae inducuntur. Tum plerumque adduntur uerba, qualia sunt *semper, numquam, saepe, nemo . . . umquam, multi, nemo, quis?* — Sed quanto minus animo obuersantur exempla rem firmantia, tanto magis euanescit aoristica uerbi uis; ualente re ipsa, quae enuntiatur, generalis actio inducitur. Quod quum ita sit, requiri par est praesentes uerbi formas, ut quae enun-

* Catullus primus hoc sensu pf. usurpasse dicitur, de quo usu uide Madvig Op. II pp. 490 sqq.

tiatis generalibus peculiares sint. Conferendum est exemplum quale

VIII 585

numquam omine laeto
distrahimur miseri.

Tali in re usurpari perfecta ui praeteriti fere* nulla praedita apud poetas tantum et seros admodum solutae orationis scriptores ferunt.

a) Res, quae enuntiatur, exemplis ex praeterito tempore sumptis fulcitur:

I 158

suberant sed publica belli
semina, quae populos semper mersere potentes.

I 281

semper nocuit differre paratis.

I 626

quodque nefas nullis impune apparuit extis,
ecce, uidet

II 198

tot simul infesto iuuenes occumbere leto
saepe fames pelagique furor subitaeque ruinae
. . . .
numquam poena fuit.

III 65

utraque frugiferis est insula nobilis aruis;
nec prius Hesperiam longinquis messibus ullae
nec Romana magis complerunt horrea terrae.

IV 83

iamque Pyrenaeae, quas numquam soluere Titan
eualuit, fluxere niues.

IV 457

huc fractas aquilone rates summersaque pontus
corpora saepe tulit caecisque abscondit in antris

---

* De origine huius aoristi graeci usus egit B. Delbrück Vgl. Synt. pp. 286 sqq. — cfr libros ibi allatos —: qui tamen (l. l. p. 301) tantam uim addidisse uidetur »punctuali» aoristi actionis generi, ut gnomicum et praesenti cognatum usum huius temporis non satis explicauerit. Neque enim ex iis locis, quibus in comparationibus forte adhibetur aoristus ad actionem hyperpunctualem, ut ita dicam, indicandam, effectum esse uidetur, ut tempus praesentis actionis fieret aoristus.

V 107

Saepe dedit sedem totas mutantibus urbes e. q. s.

VI 452—464; ubi imprimis notandus est locus unus,

VI 458

quos non concordia mixti
alligat ulla tori blandaeque potentia formae
traxerunt torti magica uertigine fili.

Ubi praesente in relatiua sententia adhibito ostenditur haud obscure pro perfecto primariae scribenti obuersatum esse praesens.

VII 104

multos in summa pericula misit
uenturi timor ipse mali.

VIII 404

iacuere sorores
in regum thalamis sacrataque pignora matres.

VIII 535

nulla fides umquam miseros elegit amicos.

IX 784

hoc et flamma potest; sed qui rogus abstulit ossa?

b) Rei ipsi, quae enuntiatur, maior uis accedit:

Imprimis in similibus eiusmodi exempla inueniuntur; ubi saepe uicissim se excipere uidemus praesentia et perfecta. Rara sunt alia exempla, nec fere nisi in comparationibus apud Lucanum exstare uidentur; cfr tamen

III 407

illis et uolucres metuunt insistere ramis
et lustris recubare ferae; nec uentus in illas
incubuit siluas excussaque nubibus atris
fulgura

Sed h. l. praesens ad rem praeteriti temporis describendam adhibetur.

IX 798

spumeus accenso non sic exundat aeno
undarum cumulus, nec tantos carbasa coro
curuauere sinus.

In similibus I 105 sqq.; I 205 sqq.; IX 284 sqq.;

I 327

utque ferae tigres numquam posuere furorem,
. . . . .
sic et Sullanum solito tibi lambere ferrum
durat, Magne, sitis.

II 21

sic funere primo
attonitae tacuere domus, quum corpora nondum
conclamata iacent

II 454

ut quum mare possidet auster
flatibus horrisonis, hunc, aequora tota secuntur:
si rursus tellus pulsu laxata tridentis
Aeolii tumidis immittat fluctibus eurum,
quamuis icta nouo, uentum tenuere priorem
aequora, nubiferoque polus quum cesserit euro,
uindicat unda notum.

Perf. historicum saepissime narratiuum est. De qua re affatim disputauisse mihi uideor sub praesente. Aliud perf. historici genus est illud, quo res praeteriti temporis, qualis per se est, commemoratur tantum; quod perf. et in primariis et secundariis sententiis — praecipue relatiuis — exstat. Hoc tempus absolutum dicere placet, quum sit impf. plerumque relatiuum. Absolutum id perf. est, quod nonnumquam inuenimus, ubi exspectandum erat plqpf.; de quo usu uide H. Blase Gramm. p. 169 Anm.; Samuelsson l. l. p. 9, qui locum Valerii allatum, quod ad tempus attinet, iniuria suspicari uidetur.

Exempla Lucanea in primaria exstantia sunt:

I 129

nec coiere pares: alter uergentibus annis
in senium longoque togae tranquillior usu
dedidicit iam pace ducem

Plqpf. *dĭdĭcĕrat* metro non admittitur.

III 726

stabat diuersa uictae iam parte carinae
infelix Argi genitor, non ille iuuentae
tempore Phocaicis ulli cessurus in armis;

uictum aeuo robur cecidit, fessusque senecta
exemplum, non miles erat.

Formam *cĕcĭdĕrat* metrum respuit.

IV 636

conflixere pares, telluris uiribus ille,
ille suis. numquam saeuae sperare nouercae
plus licuit.

Lĭcŭĕrat formam metrum non admittit.

Exempla in secundaria exstantia:

a) Tempus absolutum diserte exprimitur (substantiuo uel aduerbio tempus indicanti):

VI 683

quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
addidit et quidquid mundo dedit ipsa ueneni.

VIII 151

illam, quam toto tempore belli
ut ciuem uidere suam, discedere cernens
ingemuit populus

Vīdĕrānt formae in hexametro locus non est.

VIII 155

tanto deuinxit amore
hos pudor, hos probitas castique modestia uoltus,
quod summissa animis, nulli grauis hospita turbae
stantis adhuc fati uixit quasi coniuge uicto.

VIII 684

suffixum caput est, quo numquam bella iubente
pax fuit

X 449

audax Thessalici nuper qui rupe sub Haemi
Hesperiae cunctos proceres aciemque senatus
Pompeiumque ducem causa sperare uetante
non timuit fatumque sibi promisit iniquum,
expauit seruile nefas

Tĭmŭĕrat forma metro non admittitur.

b) Nullum uerbum tempus indicans exstat:

II 610

urbs est Dictaeis olim possessa colonis,
quos Creta profugos uexere per aequora puppes
Cecropiae

X 155 (ex. paullo incertius)

infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus inani
ambitione furens toto quaesiuit in orbe

X 161

excepere merum, sed non Mareotidos uuae,
nobile sed paucis senium cui contulit annis
indomitum Meroe cogens spumare Falernum.

X 165

multumque madenti
infudere comae, quod nondum euanuit aura,
cinnamon, externa nec perdidit aera terra

Ubi in sententia primaria positum est praes. hist., in enuntiato relatiuo plqpf.* adhiberi solet. Lucanus saepius perf. habet. De quo usu uide Blase Gramm. p. 170; Samuelsson l. l. p. 9 attulit Valer. Flacc. Argon. II 410 sq.

Lucanea exempla haec imprimis sunt:

I 485

nulloque auctore malorum,
quae finxere, timent.

III 603

stant gemini fratres, fecundae gloria matris,
quos eadem uariis genuerunt uiscera fatis

VI 80

maior cura duces miscendis abstrahit armis:
Pompeium exhaustae praebenda ad gramina terrae,
quae currens obtriuit eques gradibusque citatis
ungula frondentem discussit cornea campum.

VI 670

huc quidquid fetu genuit natura sinistro,
miscetur.

---

* Ad uim plusquamperfecti raro accedit impf.; cfr

IV 330

exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant
impulsu

VI 144

Scaeua uiro nomen; castrorum in plebe merebat
ante feras Rhodani gentes; ibi sanguine multo
promotus Latiam longo gerit ordine uitem

X 140

diuitias Cleopatra gerit cultuque laborat
candida Sidonio perlucens pectora filo,
quod Nilotis acus compressum pectine Serum
soluit et extenso laxauit stamina uelo.

In relatiuis sententiis subiectis praesenti historico, quod *dum* particula inducitur, Lucanus perf. ita adhibet:

IV 202

dum, quae gesserunt fortia, iactant,
et dum multa negant, — quod solum fata petebant —
est miseris renouata fides

V 219

dumque a luce sacra, qua uidit fata, refertur
ad uolgare iubar, mediae uenere tenebrae.

Perfectum illud, quo res praeterita commemoratur tantum, nonnumquam in confinio imperfecti uersari uidetur; saepe etiam metri tantum rationi seruire uidetur poeta. Ad discrimen uerum eruendum multum ualere apparet ea exempla, ubi in metro aeque uni atque alteri temporum formae locus sit. Ac de *erat* et *fuit* formis optime iudicabitur, ubi proxime antecedet syllaba longa in consonanti desinens. Sed nonnumquam rerum nexui siue hoc siue illud tempus aeque satisfacere, ut in poetae sit potestate, utrum hoc an illud ponere malit, uix est quod moneam.

Impf.: a) In sent. primaria:
- *α*) Exx. uerbi esse: I 95 sqq.; IV 8; 411 sqq.; 466; 525 sqq.; IX 762 sq. alia.
- *β*) Exx. aliorum uerborum: III 429 sqq.; IV 687 sq.; VI 248 sqq. (*dabat*) alia.

b) In sent. secundaria:
- *α*) Exx. uerbi esse: I 275 sq.
- *β*) Exx. aliorum uerborum: I 239 sqq.; III 429 sqq. (*credebant*); V 42 sqq.; 520 sq.; VI 332; VII 181 sqq.; VIII 596 sqq. alia.

Haec exempla, opinor, illas de usu imperfecti regulas, quas supra ferre conati sumus, confirmabunt.

Supra tractauimus exemplum unum,

III 429

sed fortes tremuere manus, motique uerenda
maiestate loci, si robora sacra ferirent,
in sua credebant redituras membra securis.

H. l. particula *-que* induci sententiam causa afferenda explicantem supra monui. De quo usu particularum copulatiuarum breuiter egit Draeger H. S. II pp. 42 sq. Usus epexegetici exempla Lucanea sunt II 142 sq.; 230 sq.; III 114 sqq.; 125 sqq.; IV 746 sq.; VII 85 sq.; VIII 646 sq.; 667 sqq.; IX 762 sqq.; 885 sqq. Regulam de temporum usu supra latam migrare uidetur exemplum unum,

VII 85

ingemuit rector sensitque deorum
esse dolos et fata suae contraria menti.

Sed h. l. formae, quae requiri uidetur, *sĕntĭēbat* in hexametro locus non est.

Perf.: a) In sent. primaria:

I 119

morte tua discussa fides, bellumque mouere
permissum ducibus. stimulos dedit aemula uirtus:
tu . . . . times . . . .

Perfectum h. l. inducit enuntiatum, quo actores fabulae (Pompeius et Caesar) in scenam inducuntur.

IV 658

(sed maiora dedit cognomina collibus istis,
Poenum qui Latiis ab arcibus hostem,
Scipio.) nam sedes Libyca tellure potito
haec fuit.

Cfr IV 466 . . . *duxerat ille ratis* . . .

V 1

sic alterna duces bellorum uolnera passos
in Macetum terras miscens aduersa secundis
seruauit fortuna pares.

Hic breuiter, quae prioribus libris gesta relata sunt, complectitur poeta.

b) In sent. secundaria

VII 217

cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quae tum (*tunc* V P U G) *fuit optima bello,*
et quarta legione datur

Perfectum adhiberi uidetur, ubi uel per se tantum res praeteriti temporis commemoratur — tum ad uim plusquamperfecti saepius accedit — uel quasi in transitu solum enuntiatur aliquid. Comparandi sunt duo loci, quibus ad discrimen dispiciendum multum adiuuamur; id solum dolendum est, quod metro non fultae sunt temporum formae:

VIII 635

talis custodia Magno
mentis erat, ius hoc animi morientis habebat.

II 380

hi mores, haec duri immota Catonis
secta fuit, seruare modum finesque tenere
naturamque sequi patriaeque impendere uitam
nec sibi, sed toti genitum se credere mundo. e. q. s.

Fuit sequentia nimirum spectat. Ubi (cfr I 119 sqq.) iure adhibetur perf.; nam poeta forte occasionem laudibus Catonem celebrandi nactus quasi in transitu haec inserit.

Hunc locum diligentius examinare non erit alienum, dico

VIII 14

multi Pharsalica castra
cum peterent nondum fama prodente ruinas,
occursu stupuere ducis uertigine rerum
attoniti, cladisque suae uix ipse fidelis
auctor erat.

Imperf. significare uidetur: »Och själf var han också knappt rätte mannen att ge tillförlitlig upplysning om sitt nederlag.» Quippe ante cladem acceptam fugae se mandauerat. Sed sensus, quem h. l. requirere primo uidetur rerum series, hic est: »Och man ville knappt tro, att han talade sanning, när han berättade om sitt eget nederlag.»

III 755

naualia paucae
praecipiti tenuere fuga. — quis in urbe parentum
fletus erat! quanti matrum per littora planctus!

Nexus rerum hunc sensum requirere uidetur: »Hvilken klagograt blef det icke nu bland . . . !»; sed impf. defendi posse uidetur: »Hvilken . . . rådde icke nu . . . !»

Plusquamperfectum: Hoc tempus semper significat rem effectam ante actionem praeteriti temporis principalem.

I. Actio principalis in relatione antecedit:

a) Saepe in plusquamperfecto inest uis explicatiua:

V 259

haud retinet. quippe ipsa metus exsoluerat audax
turba suos

Alia exempla sunt II 77 sqq.; 146 sqq.; 372 sqq.; IV 410 sqq.; 687 sqq.; 737 sq.; V 244 sqq.; VII 238 sqq.; VIII 205 sqq.; IX 477 sqq.; X 442 sq. alia.

IX 1026

nec uile putaris
hoc meritum, nobis facili quod caede peractum est.
hospes auitus erat, depulso sceptra parenti
reddiderat.

Audiendum est: »neque enim uile est: uix ut Pompeium interfici iuberem in animum induxi (nam . . . reddiderat)».

b) Vis est temporalis; plqpf. ostendit, quid ante actionem principalem finitam perfectum sit. Saepe exprimitur tempus relatiuum.

III 169

interea totum Magni fortuna per orbem
secum casuras in proelia mouerat urbes.

Tum enumerantur singulae ciuitates.

V 75

hoc solum fluctu terras mergente cacumen
eminuit pontoque fuit discrimen et astris.
tu quoque uix summam seductus ab aequore rupem
extuleras unoque iugo, Parnase, latebas.

H. l. plqpf., ubi praegrauat tempus relatiuum, idem fere ualet quod impf.

II. Sequitur actio principalis; plqpf. significat, quid ante eam initam factum sit; unde saepe quasi proficisci uidetur actio, de qua agitur.

Impf. saepe coniungitur. Exx. huius usus, quem Blase aliique rhetoricum appellant, abundant sane:

I 608

sacris tunc admouet aris
electa ceruice marem. iam fundere Bacchum
coeperat obliquoque molas inducere cultro,
impatiensque diu non grati uictima sacri,
cornua succincti premerent quum torua ministri,
deposito uictum praebebat poplite collum.
nec cruor emicuit solitus, sed . . . .

Saepius sequitur *quum* »inuersum»; uelut V 424 sqq.; VI 290 sqq.; X 53 sqq. Cui structurae par est ea, quae inuenitur I 261 sqq.; VI 278 sqq.; VIII 778 sqq.

Raro admodum et antecedentium et sequentium rerum ratio haud obscure habetur, sed saepissime actio ea tota, quam perfectam indicat plqpf., haud obscure uidetur accidisse aliquanto post actionem* proxime antecedentibus uerbis expressam. Antecedit igitur uulgo pausa. Conferre licet I 183 (incipit ita relatio belli ciuilis); 608 sqq.; V 424 sqq.; 504 sqq.; VII 647 sqq.; VIII 472 sq.; 560; 562; 778 sqq.; IX 511 sqq. Huc item numerandos esse apparet locos eos, ubi plqpf. uerbi dicendi orationem rectam claudit.

Interdum plqpf. nulla antecedentiae ratione habita statum tantum rerum rei describendae causa exprimit. Velut V 75 sqq. (locus supra allatus est);

X 127

tunc famulae numerus turbae populusque minister.
discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas

Plqpf. saepius perfecti uices quodammodo sustinere uidetur. De quo usu Delbrück egit Vgl. Synt. II pp. 317 sqq. Actione principali non clare expressa plqpf. de praeterita tantum re adhiberi uidetur. Huc referre placet id plqpf., quod uocant nonnulli plqpf. celeritatis, quo indicatur, rem effectam esse prope ante, quam fieri inceperit. Vide Blase p. 214. Exemplum exstat Lucaneum,

VI 130

ne quid uictoria ferro
deberet, pauor attonitos confecerat hostes.

* Blase p. 215 ima ostendit notandum in modum ita plusquamperfecto usum esse Curtium; laudat Vogel, Einleitung § 102.

Sensus = »de lågo i ett nu tillintetgjorda af skräck» — cfr u. 132 *iacuere perempti* —. Plqpf. ad uim perfecti prope accedit: In relatione: IV 730 sqq.; V 152—157; VII 605 sq.; V 295

haec fatus totis discurrere castris
coeperat infestoque ducem deposcere uoltu.
sic eat, o superi, e. q. s.

Commemoratur tantum res praeterita (plerumque quodammodo auditur actio primaria); cfr Blase § 45 Anm. (p. 213). VII 110

res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas:
accipe maiores et caeco in Marte tuere.

Cfr Ouid. Metam. XIII 180

arma peto: uiuo dederam, post fata reposco.

VIII 521

feriam tua uiscera, Magne,
malueram soceri

Sc. »innan ödet betog mig valfriheten».

IX 248

Pompeio scelus est bellum ciuile perempto,
quo fuerat uiuente fides.

IX 855

nec de te, natura, queror: tot monstra ferentem
gentibus ablatum dederas serpentibus orbem
impatiensque solum Cereris cultore negato
damnasti atque homines uoluisti deesse uenenis.

IX 1075

non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
te, Ptolomaee, feram?

X 25

nam sibi libertas umquam si redderet orbem,
ludibrio seruatus erat

De *malueram*, quae forma mihiquidem idem ualet quod *malui*, et quam eodem ordine quo ceteras hic allatas plusquamperfecti formas habendam censeo, uide Obermeier l. l. pp. 77 sq., Draeger H. S. I. p. 504; Blase pp. 216 (§ 47). De structuris, quales sunt *uir tanti fuerat* (II 62); *debuerant* (VI 132 sq.; VIII 422 sq.) uix aliter iudicandum uidetur.

Futurum: In interrogationibus indignantium usum futuri et praesentis coni. uariari a Lucano supra ostendi. Aliter futurum coniunctiui »deliberatiui« fungi potuisse uicibus nullo Lucaneo loco comprobatum repperi. — Concessiuum[1] futuri usum apud Lucanum non inueni. Sed contiguum fortasse est futurum *licebit* his locis

VII 855

omnia maiorum uertamus busta licebit[2]

. . . .

plus cinerum Haemoniae sulcis telluris aratur

VIII 629

spargant lacerentque licebit,
sum tamen, o superi, felix

Atque metrum quidem ad futurum eligendum multum ualuisse credi potest.

Coniunctiuo potentiali contiguum esse nonnumquam uidetur id futurum, quod fut. probabilitatis appellari solet. Exemplum affert Obermeier.

I 30

non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit (V cod.: *erat*)

Haskins: »sc. *olim quaerenti«;* sed potius fortasse: »in cladium causam si inquisiuerimus«. — Blase § 12 Anm. 2 (p. 123) esse ait *erit* = *futurus erat* (= warst vom Geschick bestimmt zu werden, solltest werden). Sed illum in sensum futurum accipere, ubi non obuersantur menti uiue tempora belli Punici secundi, sed in transitu solum perstringuntur, profecto non licet. Conferre licet libellum, quem inscriptum Futurum Historicum im Latein ex Erani uol. VI seorsum expressum edidit a. 1905 Johan Samuelsson. Exempla eius usus Lucanea, quum S. diligenter collegerit et acute tractauerit, afferre supersedeo. — Sed ad fut. probabilitatis redeo. Atque ad hunc futuri usum explicandum non erit inutile conferre futura primariae cum sententia condicionali coniunctae; uelut

[1] Hunc futuri usum illustrant loci, quales sunt Horat. C. I vii 1; I xvi 3; III xxiii 13; Epist. I x 24. Item conferre licet Verg. Aen. VI 847: uide Ad. Kiessling ad locum primum allatum.

[2] Horatius quoque *licebit* semel habet in exitu uersus. Epod. XV 19.

V 571

nubibus et caelo notus est; si murmura ponti
consulimus, cori ueniet mare.

IX 411

tertia pars rerum Libye, si credere famae
cuncta uelis; at si uentos caelumque sequaris,
pars erit Europae.

Notandum exemplum (omissa sententia condicionali) est V 493

si bene nota mihi est, ad Caesaris arma iuuentus
naufragio uenisse uolet.

Non eodem plane de genere nec tamen prorsus spernenda sunt exempla haec.

II 537

di melius, belli tulimus quod damna priores:
coeperit inde nefas

Ubi recte auditur: »olim quaerenti».

IV 257

Phario nec tantum est aequore gestum,
hoc siquidem solo ciuilis crimine belli
dux causae melioris eris.

Samuelsson *eris* fut. hist. esse ostendit, quae sententia cum ea explicatione, quam uerisimilem puto (sc.: »olim quaerenti»), coniungi posse uidetur. Constare credo totum hunc Lucaneum futuri probabilitatis usum — audita saepe facile sent. condicionali — e futuri ui trita et uulgata explicari posse. Quem usum futuri eius, quod est *erit*, Blase p. 119, inde explicandum ait, quod sit uetus coniunctiuus. Atqui etsi non est negandum ita se rem habere posse, tamen et haec explicandi ratio refelli uidetur exemplis e prisca latinitate sumptis et magis placet totum hoc futurum comparare cum talibus futuris, quae inueniuntur in aliis linguis, quae explicationem illam e communi formarum origine sumptam non admittunt; uelut in linguis germanica et francogallica. Cfr ceterum notam Brixi et Niemeieri loco Plautino, Trin. 923 (922), additam. Ex temporali futuri usu huius modalis usus originem equidem repetere malim. Atque in exemplis iis, quibuscumque primigenius rerum status illustratur, temporalem futuri uim haud difficile agnoscere licet. De qua re uide H. Sjögren

(Zum Gebrauch des Futurums im Altlateinischen, Uppsala 1906) pp. 109—118. Tum uero nonnumquam rerum nexu efficitur, ut paullum obscuretur uis temporalis, exprimatur uis modalis probabilitatis; cfr Plaut. Pers. 645 *haec erit bono genere nata: nil scit nisi uerum loqui.* Plaut. Rud. 177 *hem, errabit illa hodie.* Ter. Haut. 668 *nisi me animus fallit haud multum a me aberit infortunium.* Conferri potest Lucan. I 30 sq. Ultra hunc finem is, de quo agimus, usus futuri probabilitatis euectus esse non uidetur. Quod quum ita sit, non est mirandum exempla utriusque status apud seros quoque scriptores inueniri. In aliis linguis fut. probabilitatis paullo expressius inuenitur. Sed hoc idem de illis dici posse uidetur — priorem typum altero non prorsus extrusum esse —, siquidem eadem uia usus futuri uulgatus ad eundem finem prouectus est, id quod dubitari uix potest. Sjögren quidem l. l. pp. 109 sq. haec habet: »man darf sich nicht durch das sog. potentiale Futurum im Deutschen ('so wird es sein') verleiten lassen, einen Potentialis hineinzudeuten, wo in der Tat keiner vorliegt.» Sed his uerbis S. si docere uult illum futuri germanici usum ex usu eius temporis uulgato explicandum non esse et latinae linguae eius futuri usum ab usu simili in aliis linguis exstanti prorsus seiungendum esse, non assentior.

Inuersa ea ratione, quam perfecti usui gnomico subesse ostendimus, oriri uidetur id futurum,* quod a Blaseo pp. 120 sqq. appellatur »der zeitstufenlose Gebrauch des Futurums in Sätzen, die einen allgemein gültigen Gedanken . . . enthalten». Exempla Lucanea huic usui contigua esse uidentur
VIII 495

semper metuet, quem saeua pudebunt.

IX 781

calido non ocius austro
nix resoluta cadit nec solem cera sequetur.

De futuro imperatiui uices sustinente uide sub imperatiuo.
Duo exempla futuri addere liceat,

VII 308

uestri cura mouet; nam me secura manebit
sors quaesita manu: fodientem uiscera cernet
me mea, qui nondum uicto respexerit hostem.

* Cfr sueticum: »Man skall aldrig se honom förgå sig», alia.

Item in exitu uersus Verg. Aen. VII 596 sq. *te, Turne, nefas, te triste manebit | supplicium, uotisque deos uenerabere seris.* Lucan. VII 308 sic explicat Postgate: »fut. because of its reference to the future action *respexerit* 310.» *Manebit* = »mig väntar i thy fall». *Manet* = »mig väntar ofelbart».

I 346

an melius fient piratae, Magne, coloni?!

Haec uerba idem ualent quod: »An minus recte quam piratae milites mei fient coloni?!» Unde acerbiore ui: »An melius fient piratae . . . coloni?!» Accedit, quod antecedunt futura multa.

Futurum exactum: Supra sub futuro attulimus exemplum huc pertinens,

II 537

di melius, belli tulimus quod damna priores:
coeperit inde nefas.

Fut. exactum ad significandum rerum euentum certum atque e causa continuo consequentem adhiberi constat; exemplum huius usus est

I 284

facili si proelia pauca
gesseris euentu, tibi Roma subegerit orbem.

B. Coniunctiuus.

Coniunctiuum latinae linguae prae se ferre signa diuersae originis inter doctos uiros constare uidetur; quod non magis de coniunctiuorum formatione quam de eorum ui et usu ualere uidetur. Coniunctiuum et optatiuum primigenios in unum coaluisse apparet. Sed et usus diuersorum horum modorum per analogiam in latino coniunctiuo uarie confusos esse suspicari licet, nec, quae primigenia fuerit uis utriusque modi, satis exploratum habemus. Vide, quae de doctorum hominum de hac re sententiis a Blaseo afferuntur p. 113. De Lucaneo coniunctiui usu egit B. Peyronel, Uso del congiuntivo in Lucano. Parte I. Congiuntivo indipendente, Catania 1896.

I. Coniunctiuus uoluntatis.

Hac nomine complecti solent grammatici omnia ea coniunctiui genera, quae distincta optatiuus, hortatiuus, iussiuus, prohibitiuus, concessiuus appellantur. Quae secernere saepe difficilius est. Sed haud scio an, quod uerum discrimen inter ea coniunctiui genera difficile sit statuere, ideo distinctionem prorsus omittamus uix necesse sit.

1. Coni. optatiuus (Sententia saepius aliqua optandi particula instituitur).

a) In sententiis affirmatiuis

α) Praesentis coniunctiuus (primae personae exempla desunt):

Secunda persona: VIII 830 *in Aethiopum putres soluaris arenas.*

Tertia persona: I 635 *di uisa secundent;* III 324 *sit;* IV 509 sq. *o utinam . . . promittant ueniam, iubeant sperare salutem:* V 297 sqq. *sic eat, o superi, . . . finem ciuili faciat discordia bello;* V 418 sq. *hic utinam . . . curuet . . . incumbatque . . . et . . . perflet;* VII 311 sqq. *di . . . uincat, quicumque . . . putat;* VII 470 sq. *di tibi non mortem . . . sed sensum post fata tuae dent . . . morti;* VII 535 sq. *utinam . . . sufficiat cruor . . . uestiat:* VIII 828 sq. *uertat aquas Nilus . . . | et steriles egeant hibernis imbribus agri;* VIII 842 sq. *imperet hoc nobis utinam scelus et uelit uti | nostro Roma sinu;* IX 878 sq. *solacia fatis | haec petimus: ueniant hostes Caesarque sequatur;* X 101 *iam tibi — sed procul hoc auertant fata — minatur.*

β) Perf. coni.: I 636 sq. *conditor artis | finxerit ista Tages.*

γ) Praeteriti temporis coni.: **Prima persona:** VIII 88 *o utinam in thalamos inuisi Caesaris issem.* **Secunda persona:** IV 580 *utinam pauidos uitae subducere nolles;* VII 439 *usque ad Thessalicas seruisses, Roma, ruinas.* Huc pertinere uidetur VII 646 *si dominum, fortuna, dabas, et bella dedisses. Dedisses* Postgate uidetur recte interpretari = »dare debebas«; confert Verg. Aen. VIII 643 *at tu dictis, Albane, maneres.* Cfr graecum usum uerbi, quod est ὄφελον.

Tertia persona: II 306 *o utinam . . . liceret;* IV 580 *utinam . . . uirtus te sola daret.* Plqpf.: II 552 *utinam . . . Crassus uictor remeasset;* VII 30 *donassent utinam superi.*

*Utinam** sine uerbo inuenitur V 61 sq. *saeuum in populos puer accipit ensem; atque utinam in populos!*

b) In sententiis negatiuis: ***Ne:*** II 260 *ne tantum, o superi, liceat feralibus armis.* ***Non:*** VII 537 *non alio mutentur sanguine fontes;* VIII 306 sq. *o utinam non tanta mihi fiducia saeuis | esset in Arsacidis!* Ad unam uocem negatio refertur VII 470 (*non mortem . . . sed sensum . . . dent*), quem locum supra attuli. *Nec* (post affirm.) III 324 sq. (*sit*) . . . *nec haec alius committat p. miles.* ***Nec — nec:*** II 260 sqq. (*ne . . . liceat*) . . . *nec pila . . . ferantur, nec tanta incassum uirtus eat.* — I 636 *et fibris sit nulla fides.*

2. Coni. iussiuus (hortatiuus):

a) Sententiae affirmatiuae: Lucanus praes. coni. semper habet.

Prima persona: Huc duo singularis exempla numeranda uidentur, IV 702 sq.; II 309 sqq.

IV 702

audendo magnus tegitur timor, arma capessam
ipse prior, campum miles descendat in aequum

H. l. coni. aptus uidetur, quo exprimatur trepidatio mentis — u. 701: . . . *trepida sic mente profatur* —; Curio se ipse nimirum cohortari conatur. Alia uis coniunctiuo subesse uidetur II 309

me geminae figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat, cunctis ego peruius hastis
excipiam medius totius uolnera belli.

Excipiam = »excipere mihi liceat». Atque his duobus Lucaneis exemplis exprimi uidentur duo coniunctiui praesentis primae sigularis personae significationis genera, quorum unum ostendit locus qualis est Plaut. Bacch. 1058 *taceam nunciam:* ubi *taceam* idem ualet quod »tacendum est mihi». Alterum genus ostendit locus Terentianus, Ter. Haut. 273 *hoc quod coepi primum enarrem; enarrem* = »enarrare mihi liceat». Sed in rerum nexu diuerso hoc discrimen positum esse uidetur. De hac re nihil habent Blase, qui primae personae formas attulit pp. 113 sqq., pp. 124 sq.; Samuelsson l. l. p. 14;

* Conferre licet VII 436 — *uellem populis incognita nostris* —. Postgate (app. crit. p. 94) cum hoc loco (VII 436) confert unicum locum, Tibull. I III 2 — *o utinam memores ipse cohorsque mei* —.

Delbrück II p. 384 (p. 125). Pluralis primae personae saepius adhibetur; uelut VIII 771 *interea paruo signemus littora saxo* (se ipse cohortatur); V 776 sq. *rumpamus foedera taedae, | placemus socerum;* VIII 501 *Aegyptum certe Latiis tueamur ab armis;* IX 250 *petamus;* X 373 sq. *rumpamus . . . mactemus;* X 386 *placemus.* — Vis hortationis addito uerbo *agite* intenditur

VIII 289

quare agite eoum, comites, properemus in orbem.

Secunda persona: Hic coniunctiui usus apud Lucanum rarus admodum est.

Ad certam personam coni. spectat (cfr Blase p. 127):

III 329

nobis haec summa precandi:
terribilis aquilas infestaque signa relinquas
urbe procul nostrisque uelis te credere muris
excludique sinas admisso Caesare bellum.

IV 110

sic, o summe parens mundi, sic, sorte secunda
aequorei rector, facias, Neptune, tridentis,
et tu perpetuis impendas aera nimbis,
tu remeare uetes, quoscumque emiseris, aestus.

IV 356

nec magna petuntur:
otia des fessis, uitam patiaris inermes
degere, quam tribuis. campis prostrata iacere
agmina nostra putes

VIII 112

tu quoque deuotos sacro tibi foedere muros,
oramus, sociosque lares dignere uel una
nocte tua

Indefinita uis est coniunctiui IV 487 *cupias, quodcumque necesse est.*

Tertia persona: Saepe coni. tertiae personae et imperatiuus in uicem se excipiunt. Exx. I 58 sqq. *tene . . . uacet . . . obstent . . . consulat . . . amet . . . compescat;* I 334 sq. *saltem doceat;* I 341 sq. *saltem . . . reddantur . . . triumphet;* II 14 sq. *sit . . . sit . . . liceat;* II 53 sqq. *reddite . . . auertite . . . premat . . . occurrat . . . uertat;* II 304 sq. *eat . . . ferant;* II 309 sq. *figant . . .*

petat; II 322 *uincat;* II 487 sq. *haereat . . . terat;* II 539 *petat;* II 644 sqq. *redeant . . . agat . . . adquirite;* II 735 sq. *abscondat . . . seruetur;* III 150 *auertat;* III 333 *sit locus;* IV 115 sqq. *referantur . . . laxet . . . inundet . . . obliquent . . . solue . . . effunde . . . eripe;* IV 166 *excipiant;* IV 279 sq. *deserat . . . cadat . . . perdant;* IV 505 *sciat . . . timeat . . . gaudeat;* IV 703 *descendat;* V 41 sqq. *tollite . . . impellite . . . praestate . . . det;* V 261 *liceat;* V 278 sqq. *liceat* (*non* ad infinitiuum referendum) . . . *liceat . . . sit;* V 293 *sciat;* V 313 sq. *lassare . . . disce . . . liceat;* V 575 *liceat;* VI 198 sqq. *obruat . . . promoueat;* VI 233 sqq. *tollite . . . ponite . . . praestate . . . sit;* VI 241 sqq. *soluat . . . summitat;* VI 717 *canat;* VI 768 *sit tanti;* VI 771 *discedat;* VII 78 *pudeat;* VII 80 *sit;* VII 277 sqq. *ite . . . prosternite . . . sit;* VII 325 *imputet;* VII 348 *petat;* VII 408 *cedant;* VII 538 *uestiat;* VII 540 *parce . . . uiuant;* VII 555 *potius pereant;* VII 596 *uiuat . . . regnet;* VII 706 sqq. *prohibe . . . ueta . . . remitte . . . adoret;* VII 804 sq. *unum da gentibus ignem,* | *non interpositis urantur corpora flammis* — ubi ad *interpositis* uerbum referendum uidetur *non*, ut sint haec verba = *continentibus* —; VII 808 *uideat;* VII 869 *liceat;* VIII 76 sqq. *erige . . . decertet . . . ama;* VIII 236 *excedat;* VIII 313 *ferat;* VIII 429 *eat;* VIII 493 *exeat;* VIII 646 sq. *pendat . . . uideat;* VIII 654 sqq. *permittite . . . exigat;* VIII 739 *sit satis;* IX 148 sqq. *praecipitate . . . erumpat . . . ite;* IX 157 *dent;* IX 234 sq. *eat . . . prospiciat;* IX 266 *pudeat;* IX 276 sqq. *rapiatur . . . ducite . . . uincite;* IX 280 *sciat;* IX 386 *ueniant . . . temptent;* IX 390 *sint;* IX 393 *uadat;* IX 398 sqq. *sitiat . . . aestuet . . . deficiat;* IX 1088 *sciat;* IX 1094 sq. *sentiat . . . audiat;* X 393 sqq. *ite . . . praestet.*

Iussiuus esse uidetur coni. paucis locis, ubi uices sententiae condicionalis sustinet quodammodo; uelut

VIII 417

haereat eoae uolnus miserabile sortis:
non solum auxilium funesto a rege petisse,
sed gessisse prius bellum ciuile pudebit.

X 152

(*pone*) . . . . . . *hic ille recumbat*
sordidus Etruscis abductus consul aratris:
optabit patriae talem duxisse triumphum.

X 191

spes sit mihi certa uidendi
Niliacos fontes: bellum ciuile relinquam..

Huic usui — cuius exemplum luculentum exstat Horat. Epist. I XVI 54 *sit spes fallendi, miscebit sacra profanis* — cognata sunt exempla, ubi pro coniunctiuo adhibetur imperatiuus; uelut VIII 237 sq. *Pompeio uincite, Parthi:* | *uinci Roma uolet;* et protases, quas inducit particula *quamuis* (*licet*); cfr W. G. Hale, Die Cum-Konstruktionen (übers. von Neitzert), Leipzig 1891, p. 89 inf.

b) Sententiae negatiuae (Coni. prohibitiuus):

Prima persona: Pluralis semel, II 305 *nullo fraudemus sanguine bellum.*

Secunda persona: Praes. coni. semel, II 637 sqq. (negatio: *nec — nec.*)

II 637

nec Pharnacis arma relinquas,
admoneo, nec tu populos utraque uagantis
Armenia

Perf. coni. solitus est. Negatiua particula *ne* VIII 450 sq.[1] *ne . . . speraueris.* *Nec* pro *neue* (post affirmationem) IX 1026 *nec . . . putaris.* Post negationem: VII 591 (*ne rue . . .*) *nec . . . admoueris.* *Neque — nec:* I 53 sq.

I 53

sed neque in arctoo sedem tibi legeris orbe,
nec polus auersi calidus qua uergitur austri

Tertia persona:

Perf. coni. semel, VIII 496 (negat. part. *non*):

VIII 496

non impune tuos Magnus contempserit annos

Non imp.[2] *contempserit* = »ne ferat impune, quod contempsit».

VIII 498 sic interpungit Haskins:

neu nos sceptris priuauerit hospes;
pignora sunt propiora tibi

[1] Blase perperam *nec speraueris* (p. 199). Tum hoc loco et VII 590 exceptis ubique Lucanum usum esse imperatiuo per *ne* particulam negato affirmat. Addenda uidelicet I 53 sq. et IX 1026.

[2] Hoc exemplum apparet non esse eodem genere quo ea, quae p. 18 not. 1 attulit Samuelsson; Draeger I p. 286; Blase p. 199.

H. hanc addit explicationem: »nor let a stranger rob you of your throne«. Sed praestare uidetur cum Hosio et Franckeno post *hospes* uirgulam tantum ponere, ut sit *neu* particula finalis. Fr. recte: »et — ne te sceptris priuet hospes, — moneo pignora esse (pr. t.)«.

Praes. coni.: Negatiua particula *ne:* II 560 *ne nos mea terreat aetas:* VIII 215 *ne pigeat. Non* his locis inuenitur: II 50 *Massageten Scythicus non alliget Hister:* IV 114 *non habeant amnes decliuem ad littora cursum;* IV 274 *non ullo constet mihi sanguine bellum:* VII 320 sqq. *non nos . . . ulla . . . commoueant;* VIII 738 *robora non desint misero.*

Peyronel l. l. pp. 22 sq. ait *ne* particula, quae est *non*, *neue* autem particula *nec* in dies magis extrusa prae se ferre Lucani sermonis usum. — Cfr Blase p. 189. — Quod inde explicandum esse ostendit, quod *non* et *nec* particulis et ante uocales et ante consonantes aeque uti liceat. Sed hoc monuisse non sufficiet; neque enim ita explicatur, quare imperatiuus *ne* particulam retinuerit. De qua re uide infra.

Negatio in pronomine inest II 56 *nulla nacet tibi, Roma, manus;* III 314 sq. *tractentur uolnera nulla | sacra manu:* VII 25 *nullas tuba uerberet aures.*

Negatiuae adiunctionis particula: **Post affirmationem:**

Nec (quam particulam post affirmationem solitam esse docent grammatici): II 344 (*liceat*) *nec quaeratur:* IV 164 (*inferte*) *nec liceat:* V 576 (*liceat*) *nec . . . sit;* VI 805 sq. (*refer*) *nec gloria paruae | sollicitet uitae:* IX 88 sqq. (*excipite*) *nec umquam . . . uacet;* X 375 (*mactemus*) *nec nos deterreat.* —

-que non: V 755 sq.,

V 754

tutior interea populis et tutior omni
rege late, positamque procul fortuna mariti
non tota te mole premat.

Negatio in pronomine inest: VII 553 (*relinque*) *nullaque . . . discat . . . aetas.*

Post negationem: *Nec:* I 93 sq. *nec . . . credite nec . . . petantur;* VII 320 sqq. *non . . . nec . . . commoueant;* VIII 738 *robora non desint misero nec sordidus ustor.*

3. Coni. concessiuus: Saepe difficile sane est uerum discrimen statuere inter hoc coniunctiui genus et hortatiuum;

atque haud alienum uidetur rem ita constituere, ut sit coni. concessiuus nihil aliud quam pars quaedam iussiui. Cfr imperatiui concessiuum usum. Exx.: I 38 sqq. *impleat . . . saturentur . . . concurrant . . . accedant;* I 311 *ueniat dux;* II 246 *sequantur;* III 24 *haereat;* IV 186 sq. *classica det bello: saeuos tu neglege cantus; signa ferat: cessa;* — atque h. l. coni. idem fere ualet quod sent. hypothetica; de qua re uide supra p. 45. — IV 788 sqq. *excitet . . . ferat;* IV 793 *potius uincat;* V 670 *desint;* VI 48 sqq. *attollat . . . ascribat . . . mirentur;* VI 328 sq. *potius . . . putet;* VII 89 sq. *inuoluat . . . sit;* IX 72 *quaerat;* IX 396 sq. *feriat . . . occurrat;* IX 581 *egeant;* X 196 *sit pietas aliis.*

Sententia negatiua apud Lucanum nusquam inuenitur.

II. **Coniunctiuus rei sumptae.**

1. Coni. potentialis (cfr Blase p. 139 sq.).

A. In enuntiatis, quibus sententia continetur

a) Praes. coni.: I 64 *uelim;* I 493 *credas* — ubi coniunctiuo excipitur praes. hist.; de qua re uide Samuelsson pp. 25 sq.; Obermeier p. 77; Blase p. 143 Anm. haec habet: »Wie der Indikativ Präsens, so wird auch gelegentlich der Konjunktiv in lebendiger Darstellung von vergangenen Handlungen gebraucht. Dies ist in Anschluss an ein solches Präsens historicum nicht auffallend.« —; IV 515 *nolim;* V 558 *haud dubitem;* VII 117 *uelim;* VII 289 *non fallar;* VII 768 *putem;* IX 244 *nec liceat.* — De coniunctiuo, qui in sententiis primariis saepe occurit, ubi sent. hypothetica »potentialem« coniunctiuum exhibet, uide Hale l. l. p. 56; Samuelsson p. 84. — Saepius coni. praes. potentialis inuenitur in sententiis relatiuis; de qua re uide infra. — *Forsitan* (*forsan* IX 63; 474; 865) cum potentiali coniunctiuo nusquam habet Lucanus. —

Perfecti coni: IV 298 *non . . . merserit;* V 610 *crediderim;* IX 599 *maluerim.*

Imperf. coni.: VIII sq. *mallet;* VIII 147 *putares.* Notandi sunt ei loci, qui uerbum primae personae habent VII 436; VIII 100:

VII 436

(*libertas . . . recessit . . . nec respicit ultra*
Ausoniam;) *uellem, populis incognita nostris*

H. l. nescio an ad imperfectum elaborandum nonnihil ualuerit uis, quae inest, optatiua et irrealis. De ui attractiua sensus optatiui cogitare uidetur Morris (uide Subjunctive p. 284). Zander (Lat. spraklära, Lund 1891) p. 151 hunc coniunctiuum irrealem esse affirmat. Sed hoc discrimen obtinere fortasse subtilius.

B. In enuntiatis interrogatiuis:

Praes. coni.: II 118 sq. *uacet;* II 289 *uelit* (U G m: *ualet*); V 12 *nocet;* VII 137 *timeat;* VII 287 sq. *agnoscam;* VII 750 *sustineat;* VIII 410 *rear;* VIII 449 sq. *horreat;* IX 269 *putet;* IX 679 sq. *rear;* IX 837 *metuat;* X 70 *quis . . . non donet . . .?*; X 237 *possit;* X 315 sqq. *patet.* — Indignantis quaestio (de qua re uide supra p. 22) est VI 326 sq. et VIII 392 sq. — VII 28 lectio optimorum codicum haec est:

VII 28

unde pares somnos populis noctemque beatam?

Haskins et Francken *pares* esse uerbum, non adiectiuum, rati pro *populis* legunt cum codicibus U G v *populi;* sed Postgate (Bersmanno et Oudendorpio astipulatus) ostendit *pares* pro adiectiuo habendum et compendiaria, quae dicitur, comparatione ad *populis* referendum esse; audiendum uerbum *ferat* (cfr *feret* u. 27).

Pauca afferre mihi liceat de loco altero, quem uulgo sic constituunt

II 348

cur tuta in pace relinquar,
et sit ciuili propior Cornelia bello?

Quae lectio concinnitati satisfacere uidetur; sed codicum consensu, qui errore codicis M (*reliquos* pro *relĩquor*) confirmatur, ista lectio, quam solus exhibet G, summouetur. Legendum uidetur: *relinquor . . . sit?* —

Perf. coni.: VIII 322 sq. *praestiterint;* IX 554 *crediderim.*

Imperf. coni.: III 447 *putaret;* VIII 256 *crederet;* IX 34 *crederet;* IX 688 sq. *respiceret.* IX 833 incertus locus est, quum alii codices exhibeant *quis . . putaret . . .?* (Haskins, Francken), alii *quis . . putauit . . .?* Pro hoc tempore Val. Flacc. praes. coni. uno loco excepto ubique habet; Samuelsson pp. 27, 28.

Plqpf. coni.: VIII 600 sq. *putasset;* IX 887 *habuisset.*

2. Coni. irrealis:

a) Notio hypothetica obscurata est, certe non expressa est uerbis:

III 82

gaudet tamen esse timori
tam magno populis et se non[1] *mallet amari.*

Affines sane esse uidentur coniunctiui, qui interdum inueniuntur in sententiis, quibus exprimitur uotum, quod perfici non potest; ex. gr. VII 436; VIII 100 sq. — Ceterum quam contiguus is usus coniunctiui, quem VIII 19 sq. (de quo uide supra sub potentiali) uidemus, huic irreali sit, nemini non liquet. Atque fortasse, utrum huc an illuc ducas, non multum interest. —

b) Notio hypothetica manifesta est, nec tamen protasis condicionali sententia exprimitur: I 19 *isset;* I 251 *melius . . . dedisses;* II 231 sq. *neuter ciuilia bella moueret,* | *contentus, quod Sulla fuit;* II 653 *sufficerent* (imperf. cum praes. hist. de praeterito tempore); III 636 *mersus foret;* IV 152 *quod fugiens timuisset iter;* V 305 *non . . . negasset;* V 345 *Pompeio . . . fugeres duce;* VI 158 sq. *peterem felicior umbras Caesaris in uoltu;* VI 226 sq. *non faceret* (de re praeteriti temporis); VI 306 sqq. *non . . flesset . . . gestasset . . . pressisset . . . placasset . . . caruisset* (auditur sent. condicionalis e uersibus 302 sq.); VII 37 sqq. *flesset . . . lacerasset;* VII 415 *possent* (de re praet. temp.); VIII 859 sq. *fores;* IX 210 *forsitan . . potuisses;* IX 751 sq. *arderet* (de re praet. temp.); IX 1079 *uertissem;* IX 1103 sq. *fecissem . . . fecisses . . .;* X 39 sq. *isset . . . ambisset . . . bibisset;* X 104 *temptasset;* X 413 sq. *ausa foret.*

III. **Coniunctiuus obliquus.**[2]

Apud Lucanum in libera sententia coniunctiuum obliquum semel tantum inueni,

VI 316

arma secuturum soceri, quacumque fugasset,
temptauere suo comites deuertere Magnum

---

[1] *Mālŭīsset* formae in metro locum non esse uix est quod moneam.

[2] Semel tantum apud Lucanum sententiam primariam in oratione obliqua accusatiuo cum inf. expressam repperi. VIII 572 sqq.

hortatu, patrias sedes atque hoste carentem
Ausoniam peteret.

Atque de tali structura recte J. Samuelsson l. l. p. 31.

C. Imperatiuus.

Quam rationem inter imperatiuum »praesentis» et imperatiuum »futuri» intercedere apud latinos scriptores, imprimis priscos, contenderint docti uiri, uide Delbrück II pp. 360 sqq. et Blase pp. 234 sqq. et eos libros, qui ibi afferuntur. Apud Lucanum quidem nullum certum exemplum secundae personae imperatiui futuri inuenimus; nam hunc uersum,

VIII 124

accipe: ne Caesar rapiat, tu uictus habeto.

quem ab aliis librariis omissum m. 1 codicis L(aurentiani), (ut uidetur), ascripsit, unico consensu spurium iudicarunt editores. Francken quidem

II 84 sq., ubi codicum concentu commendatur:

si libet ulcisci deletae funera gentis,
hunc, Cimbri, seruate senem.

legendum esse docet: *hunc Cimbris seruato senem.* Sed haud scio an hunc locum perperam ita constituerit Fr., de qua re cfr symbolas exegeticas.

Tertia persona idque ubique uerbi uerbi *esse* ter adhibetur; sed *esto* non eodem sensu, quo uulgo usurpant aureae aetatis scriptores, dico concessiuo, sed iussiuo adhibitum uidemus

II 513

uictis iam spes bona partibus esto

VII 319

ciuis, qui fugerit, esto.

I 226

procul hinc iam foedera sunto.

Notandum est in exitu uersus has formas inueniri; quare non piget assentiri Blaseo p. 243 hoc ferenti iudicium: »Die hexametrischen Dichter mögen gelegentlich den Imper. der 3. Person zur Erzielung eines effektvolleren Versschlusses verwendet haben.» Usum futuri imperatiui secundae personae post Ciceronis tempora in dies rariorem non fere nisi in legibus exstare atque discrimen imperatiui praesentis et futuri in

dies magis euanuisse, uix ut uel minimum inter se diuersi fuerint, constat. De qua re uide Blase p. 238. Plurima igitur exempla Lucanea afferri possunt, quibus imp. praes. significet, quid alia actione perfecta uel certa condicione faciendum sit. Velut I 21 sqq.; I 56 sqq.; II 636 sq.; II 645 sqq.; IV 186 sq.; V 588 sqq.; V 754 sq.; IX 212 sq. alia.

Imperatiuum praesentis uerbi passiui bis inueni, V 313 *lassare et disce;* IX 982 *ne tangere.*

Hi imprimis occurrunt imperatiui sensus:

a) Iussiuus uel hortatiuus.

Cum coniunctiuo uoluntatis saepe coniungitur imperatiuus; uelut I 93 sq ; II 47 sqq.; 341 sqq.; IV 162 sqq.; VII 277 sqq.; 540; 552 sq.; 706 sqq.; IX 148 sq.; 397 sq.; 1024 sqq.; 1091 sqq.; X 373; 393 sqq. alias.

b) Concessiuus: Interdum una inueniuntur coniunctiui concessiui. Exx. I 367 sq.; 417 sqq.; 670 sqq.; III 128; V 321; 669 sq. (sequitur coni. concess.); VII 269; IX 268 sq. alias. I 417

quaerite, quos agitat mundi labor; at mihi semper
tu, quaecumque moues tam crebros causa meatus,
ut superi uoluere, late.

Hac locorum frequentia nullo modo confirmatur sententia Blasei, quam p. 249 tulit his uerbis: »So wird also vermutlich der konzessive Imper. Präs. sehr selten sein . . .» — Ceterum apparet frequentem concessiui imperatiui usum in Lucani rhetorico et concitato genere dicendi positum esse.

c) Condicionalis: Et hic coniungi possunt coniunctiui uoluntatis.

Apodosis semper uidelicet postponitur; quae quidem

a) Dissolute connectitur. Exx.

II 279

quibus adde Catonem
sub iuga Pompei, toto iam liber in orbe
solus Caesar erit.

X 151

pone duces priscos et nomina pauperis aeui,
Fabricios Curiosque graues, hic ille recumbat
sordidus Etruscis abductus consul aratris:
optabit patriae talem duxisse triumphum.

Alia exempla sunt VIII 183 sq. *perge . . .: . . . tanget;* VIII 237 sq. *uincite . . .: . . . uolet.*

β) Addita particula copulatiua annectitur apodosis: IV 486

decernite letum,
et metus omnis abest

Semel apodosis imperatiuus est VII 700

respice turbatos incursu sanguinis amnes
et soceri miserere tui.

Conferre licet prouerbium illud »*diuide et impera*», quo disciplina Romanorum externos populos tractandi contineri ferebatur.

Apud Lucanum particulae aliaeque uoces contentionis causa additae inueniuntur non nimis saepe.

Oro additur VIII 633 sq. . . . *tanto patientius, oro, clude, dolor, gemitus.*

Precor: VIII 579 sq. . . . *remane, temeraria coniunx,* | *et tu, nate, precor . . .*

Tu additur VI 598 sq. *uel numina torque* | *uel tu parce deis . . .*; X 353 sq. . . . *tu mollibus, inquit,* | *nunc incumbe toris . . .*; X 395 . . . *tu parce morari.*

Sequitur uocatiuus, quare huc uix pertinet locus II 485

(. . . . . . . *socii, decurrite, dixit*)
et tu montanis totus nunc fontibus exi
atque omnis trahe, gurges, aquas

Huc profecto non pertinet VIII 579 sq. (uide supra), ubi *temeraria coniunx* uocatiuo opponitur alter uocatiuus *et tu, nate, . . .* — Nec magis huc numerandus I 418 sq., ubi *tu quaecumque* pronomini correlatum est.

Obsecrandi illa formula, quae est *per te . . .*, nullo addito orandi uerbo exstat X 370

per te, quod fecimus una
perdidimusque, nefas perque ictum sanguine Magni
foedus, ades

Modo: VIII 784 *i modo securus ueniae . . .* —

I; ite: De qua structura uide Emory B. Lease A. J. Ph. XIX pp. 59—69.

VIII 784

i modo securus ueniae fassusque sepulcrum
posce caput.

Ubi magna uis esse uidetur uerbi *posce*, obscuratur uerbi eundi. Huc uix numerare licet IX 268 sq. *ite, o degeneres, Pompei munus et arma | spernite.* Ubi intenditur uis uerbi eundi repitione quadam, u. 272 *uadite securi;* atque hominibus istis, quos ita increpat Cato, ire uel ad consules uel ad Caesarem ipsum in animo fuerat. Eodem plane sensu dicuntur haec V 325 *uadite meque meis ad bella relinquite fatis.* Nec magis huc pertinere uidetur II 498 sq. . . . *equitum properate cateruae, | ite simul, pedites ruiturum ascendite pontem.* Addito enim uerbo *simul* et opposito uerbo *properate* uis uerbi *ite* intenditur.

Nunc per irrisionem adhibetur, quemadmodum plerumque *i nunc atque* (*et*) usurpari constat, X 353 sq. *tu mollibus, inquit, | nunc incumbe toris et pinguis exige somnos.*

Age; agite. Verbalis horum uerborum uis tota fere euanuit, ut pro interiectiuis particulis saepe sint habenda. Saepe enim adduntur aliarum personarum formis uerbalibus; uelut VIII 289 *quare agite eoum, comites, properemus in orbem.* Stat. Theb. VII 126 . . . *agedum inferias et busta colamus.* Qui usus nihil sane habet, quod sit mirandum. Sed Sil. Ital. Pun. XI 169 * *huc, age, adeste* et id. XI 575 * *atque adeo temptate, agedum, ac deposcite pacem*, ubi totus populus compellatur, singularis *age* cum imperatiuis numeri pluralis notandus est. Item Stat. Theb. VII 612 *ite age, nunc pacem sperate fidemque.* Incertus locus id. X 33 *ite age et* . . . Alia exempla nihil explicandi causa addens attulit Blase pp. 247 sq.

Quod quum ita sit, consentaneum esse uidetur (uide Schmalz Lat. Gr.[3] p. 339)

a) *Age, agite* cum imperatiuis dissolute coniungi.

α) Exemplum *age* (*agite*) uocis ante imperatiuum collocatae apud Lucanum non inueni (sed cfr VIII 289 *agite . . . properemus*).

β) Postponitur *age* (*agite*): I 367 *duc age.*

* Quos locos affert A. T. Lindblom p. 43 eius commentationis, quae inscribitur In Silii Italici Punica quaestiones. Upsaliae 1906.

b) *Age* (*agite*) connectitur addita particula copulatiua. IX 282 *quin agite et magna meritum cum caede parate.*

Hic *et* non = *etiam;* tum enim nihil facilius erat quam mutato uix uerborum ordine scribere . . . *et meritum magna c. c. p.* — Vim igitur mere copulatiuam sibi uindicare h. l. uidetur *et.* Nec magis h. l. quam ceteris uis uerbalis * expressior in *agite* uoce inesse uidetur. Conferre licet simillime comparatos locos, qui apud alios poetas inueniuntur; uelut Stat. Theb. I 468 sq. *immo agite et positis . . . minis succedite tecto.* Samuelsson exempla Valeriana collegit, III 623 sqq.; VII 467; VIII 41 sq. Langen affert Verg. Aen. V 58; XII 832. —

Quin: De qua particula imprimis uide O. Kienitz, De *quin* particulae apud priscos scriptores Latinos usu, progr. Carolsruhae 1878. Vide Samuelsson l. l. pp. 33 sq. Atque S. imperatiuum huius particulae usum, si res ita ferat, totum ab interrogatiuo usu seiungere non dubitat et ex affirmatiuo deriuandum potius censet. Sed mihiquidem non respuenda uidetur illa tam simplex et rei consentanea explicandi ratio — ex usu interrogatiuo *κατὰ σύνεσιν* fluxisse usum imperatiuum. Cfr Hale l. l. p. 118. Ceterum priscis linguae temporibus quam arte inter se coniuncti fuerint hi duo usus elucere uidetur e locis, qualis est

Plaut. Asin. 254

quín tu abs te socórdiam omnem réice et segnitiem ámoue
átque ad ingeniúm uetus uorsútum te recipís tuom?

De quo loco Kienitz p. 6 minus recte, ut uidetur: »Quam orationis inconcinnitatem cum nullo modo explicare possimus, sequamur Fleckeisenum, qui auctore Lambino edidit: *Quin . . . reicis . . . amoues atque . . . te recipis . .?*» — Et uidetur hic locus, cum quo conferre licet alios, ubi sequitur imperatiuus (Plaut. Most. 815; id. Truc. 631), medium quendam inter interrogatiuum et imperatiuum usum tenere locum. Quo latius in dies extendebatur usus particulae *quin* cum indicatiuo praesentis coniunctae, ut omnimodi imperatiuorum uices sustineret, eo magis in promptu fuit *quin* ponere cum imperatiuo

* In copulatiua particula per se non multum ponendum esse, ubi de formarum uerbalium inter se ratione iudicandum sit, constat. Cfr ex. gr. VIII 645 sq. *properas atque ingeris ictus,* | *qua uotum est uicto.* Ubi exspectamus *properas ingerere.*

»ad sensum». Exemplum dilucidum eius discriminis euanescentis est

Plaut. Amph. 970

AL. *Númquid uis quin ábeam iam intro, ut ápparentur quíbus opust?*

IUP. *Í sane et quantúm potes(t) paráta fac sint ómnia.*

AL. *Quín uenis, quandó uis, intro? fáxo haud quicquam sít morae.*

H. l. usus primigenius multum dilatatus est, opinor. Hinc ad imperatiuum usum facilis transitus esse uidetur. Atque ubi de origine usus imperatiui indicandum est, non alienum erit quaerere, sintne Plautus et Terentius hac particula similiter usi. Est uero usus imperatiuus apud Plautum rarus admodum, apud Terentium imperatiui usus quadruplo maior exemplorum uis exstare uidetur quam interrogatiui. Quae quum ita sint, facere uix possumus, quin apud Plautum modo orientis, apud Terentium uero increscentis usus imperatiui uestigia cernere nobis uideamur. Hoc si uerum est, facile refellitur opinio eorum, qui ex imperatiuo huius particulae usu explicare uoluerunt usum affirmatiuum uel amplificatiuum. Qui usus iam apud Plautum quasi perfectus et plane absolutus esse uidetur. Erit igitur illorum explicandi ratio improbanda. Tum uero quanam ratione explicandus sit affirmatiuus huius particulae usus, magna quaestio. Plerique cum Kienitzo hoc *quin* ab interrogatiua illa particula totum seiungentes deriuatum esse arbitrantur ex affirmatiua uoce *qui* — cfr *hercle qui; edepol qui* — addita encliticе particula affirmatiua, quae est -nĕ — cfr affirmatiuam particulam nē —. Sed equidem non uideo, quid obstet, quominus ex interrogatiuo usu explicetur affirmatiuus; cfr duplicem usum particulae, quae est *quippini*.

Hic locus erit quaerendi, quibus omnino modis apud Lucanum imperatiua expressa sit uis imperatiuo non posito.

Imperatiui affirmatiui loco poni uidentur:

1. Fut. ind. affirmat.:

II 642 (adiungitur coni. uoluntatis)

totos mea, nate, per ortus
bella feres totoque urbes agitabis in orbe
perdomitas

2. Interrogatiua structura

a) affirmatiua est interrogatio:

α) praes ind. uerbi principalis: VI 744 sq. ... *paretis? an ille | compellandus erit ...?*

β) praes. ind. uerbi *cessare* regit infinitiuum uerbi principalis: X 356 sq. *cessas accurrere solus | ad dominae thalamos?* = »iamiam accurre«.

b) negatiua est interrogatio

α) *quin* cum praes. ind. iungitur: VIII 441 sq. *quin respicis orbem | Romanum?*

β) *non* inducit interrogationem praesente ind. expressam: II 523

in medios belli non ire furores
iamdudum moriture paras?

VI 731

non agitis saeuis Erebi per inane flagellis
infelicem animam?

IX 979

Herceas, monstrator ait, non respicis aras?

γ) *non* inducit fut. ind.: VI 155 sq. *non ira saltem ... stabitis?*

Imperatiui negatiui uicibus fungi uidentur:

1. Imper. positiuus, qui cum acerba irrisione ad rem dissuadendam adhibetur; uelut X 353 sq. *tu mollibus, inquit, nunc incumbe toris et pinguis exige somnos;* X 361 *crede, miser, puero.*

2. Verbum aliquod negatiuum,* quo regitur inf. uerbi principalis:

a) *Parce* (*parcite*): VII 659 *parcite ... cunctas prosternere gentes;* X 395 *tu parce morari.*

b) *Desiste* (Hoc uerbum praetermisit Blase): V 744 *desiste preces tentare.*

3. Interrogatio *quid* (= cur) uoce inducta. Ind. praes. ubique exstat; VI 196 sq. *quid ... perditis ...?*; VII 81 *quid ... arces?*; VII 665 *omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras?*; VII 821 *quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?*; VIII 53 *quid perdis tempora luctus?*; VIII 335 *quid*

---

* *Noli* apud Lucanum nusquam inueni. Quae periphrasis item Vergilio, Tibullo, Valerio Flacco ignota est, Blaseo si credimus; cfr l. l. p. 244.

. . . *quaeris . . .?*; VIII 352 sqq. *quid . . . spargis . . . quid . . . doces?* alias.

4. Coni. prohibitiuus: Perf. coni. ubique.

VIII 450 sq. *ne . . . sperαueris:* IX 126 sq. *nec . . putaris:* I 53 sq. *neque . . . legeris . . nec . . .* Antecedit imper. negat., sequitur coni. prohibit. VII 590 *ne rue . . . nec . . admoueris.*

Restat, ut de imperatiuis negatis pauca dicamus. Negationis simplicis forma longe frequentissima est:

Ne: cuius usus exempla abundant. *Ne* post imperatiuum collocatur VII 328 *parcite ne castris.* Imperatiuus uerbi passiui negatus semel inuenitur, IX 982 *ne tangere.* Quam structuram ante Lucanum inuenisse se negat Obermeier l. l. p. 78.

Non: Semel tantum.

V 18

non qua tellure coacti
quamque procul tectis captae sedeamus ab urbis
cernite, sed uestrae faciem cognoscite turbae.

H. l. sibi opponuntur quidem ea, quae per *non* et quae per *sed* inducuntur, sed utrique sententiae peculiare est uerbum.

Adiunctionis negatiuae particulae (post affirmationem):

Nec: IX 1081 sq. *nec fallere uosmet | credite uictorem.*

Nec — nec: I 93 sq. . . . *nec gentibus ullis | credite, nec longe fatorum exempla petantur.*

Neue:

II 39

nunc laniate comas neue hunc differte dolorem
et summis seruate malis

Ubi per *et* continuatur negatio, quod Lucano in deliciis est.

D. Infinitiuus.

Hanc syntaxeos Lucaneae partem tractauit quidem J. Schmidt (De usu infinitiui apud Lucanum . . . ., diss. Halensis, a. 1881) sed pauca sunt, quae alio modo constituta uelim. Partitio haec est:

§ 1. De inf. subi. loco posito Praedicatum huius inf. est:

I Verbum impers. II Verbum personale. III Nomen subst. a) nom. b) gen. c) dat. IV Nom. adi. a) nom. b) gen. V Adu. cum copula coniunctum.

III a) s. u. *causa* addi oportet V 580 sq. *sola tibi causa est haec iusta timoris | uectorem non nosse tuum*, quem locum § 4 II (Inf. remotioris obiecti instar positi) perperam attulit.

§ 2. De acc. c. inf., qui subiecti uice fungitur. Praedicati uices sustinent:

I Verba a) imperson. b) person. II Subst. III Adi. IV Adu.

§ 3. De inf. acc. obi. instar posito. Inf. pendet

I Ex uerbis. II Ex adiectiuis et participiis.

Sub I A a) 4. addendum est *quaero:* cfr IX 1019 *quaerens .. reparare ruinas.*

Sub I B a) perperam attulisse S. uidetur locum unum *do* exhibentem,

VII 480

excepit resonis clamorem uallibus Haemus
Peliacisque dedit rursus geminare cauernis

H. l. *clamorem* uerbo *dedit* obiectum est; *dedit* uerbum accipiendum est non pro causatiuo uel factitiuo, sed proprie; cfr quae sequuntur u. 482: *Pindus agit fremitus* (sc. ad Pangaea saxa) *Pangaeaque saxa resultant. Geminare* tum = »geminandum». Cfr II 96 sq. *nulli gestanda dabantur | signa* IX 877 *terga damus ferienda noto.* Inf. simili sensu adhiberi uidetur IV 805 sq. *has urbi miserae uestro de sanguine poenas ferre datis* . . . — Sub § 4 allatum hoc exemplum oportuit. — Nec magis causatiuum *do* uerbum est X 409 sq. *iugulumque in Caesaris ire | non sibi dant.* Sensus hic est: »In Caesarem impetum faciunt non sua causa.» Inf. *ire* h. l. = »quod eunt». Cfr IV 280 *perdant uelle mori.* His locis infinitiui uis verbalis obscuratur, exprimitur nominalis; quod in eo positum esse uidetur, quod hic infinitiui pendent a uerbis, quorum unum (*dare*) hoc sensu, alterum uero (*perdere*) omnino non solet infinitiuum regere.

§ 4. De infinitiuis, qui obi. remotioris cuiusdam instar positi sunt.

Sub I C 1) (= Inf. finalis uel respectionis, quem regunt uerba causatiua) addi opportet VII 480, de quo loco uide supra.

Sub I C 4) (= Inf. finalis; uerba mouendi regunt) Schmidt perperam attulit

V 301

fata sed in praeceps solitus demittere Caesar
fortunamque suam per summa pericula gaudens
exercere uenit nec dum desaeuiat ira
exspectat

Nam h. l. sibi respondere uerba *solitus* et *gaudens* (= qui semper gaudebat) et illo regi *fata . . . demittere*, hoc *fortunam . . . exercere*, deinde respondentia sibi esse *uenit* et *nec exspectat* apparet.

Sub III A (= a ptcpio pendentes inf., qui sunt numero genetiuorum) s. u. *damnatus* Schmidt Silianum tantum attulit; addendus est locus Lucaneus, III 22 *detrahere in cladem fato damnata maritos*. Sub III A Schmidt attulit *patiens*, cui adiungit hoc de *impatiens* placitum:

»Luc. VIII 578

hoc magis impatiens egresso deesse marito,
quod metuit clades.

h. l. infinitiuus propter antecedens pronomen hoc, cui appositionis instar additus est, pro acc. accipiendus est.» Atqui *hoc* esse ablatiuum mensurae * apparet. Sub *potens* addi potest ex. Lucaneum,

IX 894

ipse cruor tutus nullumque admittere uirus
uel cantu cessante potens.

§ 5. De acc. c. inf., qui obiecti uices sustinet.

§ 6. De acc. c. inf., qui remotioris obi. loco positus est.

§ 7. De inf. (et acc. c. inf.), qui per ellipsin explicandi uidentur.

Qui titulus rei, de qua agitur, non admodum conuenire uidetur.

I De inf., qui uocatur, imperatiuo.

II De acc. c. inf. in exclamationibus usurpato.

III Infinitiuus historicus.

* Ablatiuum *hoc* excipit *quod* particula itidem IV 229

at uobis uilior hoc est
uestra fides, quod pro causa pugnantibus aequa
et ueniam sperare licet.

Praeter Schmidtium (l. l. p. 727) exempla Lucanea collegit G. Mohr (De infinitiuo historico, diss. Halensis, a. 1878); sed ambo nimio hanc partem referciendi studio adducti attulerunt exempla nonnulla huc non pertinentia. Velut
IV 175

audet transcendere uallum
miles in amplexus effusas tendere palmas.

tendere quoque ab *audet* uerbo pendet nimirum.
IV 264

tunc inopes undae praerupta cingere fossa
Caesar auet nec castra pati contingere ripas.

H. l. *auet* uerbo reguntur et uerba *cingere* et *nec . . . pati.* *Nec pati* hic non significat *et aegre ferre*, sed *et prohibere*. *Nec* = et + non ad unum uerbum referendum — cfr ex. gr. V 153 *nec uox sufficiens = et uox non sufficiens* —.
V 450

noua uota timori
sunt inuenta nouo, fluctus nimiasque precari
uentorum uires

Sed h. l. *precari* epexegetice additum esse substantiuo *uota* quod ad sensum affini admodum facile crediderim.
V 623

quum littora Thetys
noluit ulla pati caelo contenta teneri.

Sed h. l. inf. *teneri* adiectiuo *contenta* regitur; cfr III 266; 534; IX 721.
V 792

non maesti pectora Magni
sustinet amplexu dulci, non colla tenere

Sustinet uerbum perperam interpretati sunt, quod h. l. ut plerumque apud Lucanum significat = »es über sich gewinnen», »im Stande sein». Cfr VII 657; VIII 230 (acc. c. inf.); IX 759 sq. — VI 111 sqq. *cernit* infinitiuos regit.
IX 942

iamque illic magis atque magis durescere puluis
coepit et in terram Libye spissata redire,
iamque procul rarae nemorum se tollere frondes,
surgere congesto non culta mapalia culmo.

Hic facile e *coepit* sumitur *coeperunt*. *Non culta* secundum codices Z G u v Seru.; O *nunc* (V *tunc*) *uisa*. — IX 294 sq. *constituit* uerbo regitur inf. *agitare*, cui obi. est *mentes*, aduerbialium loco adduntur *actu belli* et *serie laborum*.

Restat ut de ueris exemplis pauca dicamus; sunt uero haec:

I 130

dedidicit iam pace ducem, famaeque petitor
multa dare in uolgus, totus popularibus auris
impelli, plausuque sui gaudere theatri,
nec reparare nouas uires, multumque priori
credere fortunae.

I 146

acer et indomitus, quo spes quoque ira uocasset,
ferre manum et numquam temerando parcere ferro,
successus urguere suos, instare fauori
numinis

Quum hi loci et rerum et structurae similitudine conspicui sint, eandem rationem syntacticam ambobus esse crediderim, licet hunc locum infinitiuo historico praeditum esse ne sit necesse.

I 167

tunc longos iungere fines
agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
uomere et antiquos Curiorum passa ligones
longa sub ignotis extendere rura colonis.

IV 624

tunc ceruix lassata quati, tunc pectore pectus
urgueri, tunc obliqua percussa labare
crura manu.

Haskins non iniuria uertere uidetur: »then his legs began to totter . . . .« Sed hic locus ad regulam illam latam a Woelfflino Arch. X pp. 177 sqq. indicandam nihil ualet, quum plures una occurrant infinitiui. Haec quattuor Lucanea exempla eaque certa inueni. Heitland introd. p. CV non nisi I 132—5; 147—8 huiusmodi infinitiuos inueniri minus recte affirmat. Nec magis Obermeiero fuisse uidetur, cur a Lucano saepe hunc infinitiuum adhiberi diceret.

De genere uerbi nonnihil dicendum erat; hoc tantum moneo *iubere* uerbi, ubi non diserte ostenditur, quis rem agen-

dam suscipiat, Lucanum ponere nunc infinituum passiui, nunc actiui. Semel una inueniuntur,

X 348

tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Caesaris et socerum iungi tibi, Magne, iuberet

De infinitiui temporibus nihil J. Schmidt. Quae quaestio quum latius pateat, in »aoristico« usu infinitiui perfecti me continebo. De qua re uide imprimis B. Delbrück Vgl. Synt. II pp. 472 sq.; Golling Synt. d. lat. Dichtersprache, I (Inf.), Wien 1892; id. Gymnasium 1889 pp. 473—482; Alb. A. Howard On the use of the perfect infinitive in Latin with the force of the present, Harvard Studies I pp. 111—138. H. quidem diligenter, quaecumque de hac re scripta sunt, collegit. Inter doctos uiros constare uidetur originem huius usus cerni posse in sententiis prohibitiuis, ubi insunt uerba *nolle* aut *uelle:* uelut Senatus consultum de Bacchanalibus (C. I. L. 196, 3): *Neiquis eorum Bacanal habuisse uelet.* — Conferre licet usum perfecti coniunctiui in sententiis prohibitiuis exstantem. — Usum illum posterioribus temporibus a Lucretio rursus reuocatum, post uero ab elegiacis maxime poetis excultum, dilatatumque esse constat. Qua in re multum ualuisse et exemplaria graeca, quorum ad similitudinem carmina sua exprimebant, et metri rationem — in pentametri dimidias partes commode uidelicet inscribuntur longae perf. inf. formae ex. gr. hac prosodia praeditae: — ⏑ ⏑ — ⏑ uel ⏑ ⏑ — ⏑; in quorum numero est magna uis perfectorum in *-ui* desinentium et simplicium et compositorum — sane credi potest. Ostendit H. illos saepe posuisse perf. inf. post uerba uoluntatis, quamuis inesset nulla nec prohibitiua nec* negatiua quidem uis. Illos post facultatis quoque uerba imprimis *possum* perf. inf. frequenter adhibuisse constat. — Fieri potest, ut facilius uerbo *possum* ideo subditum sit perf. inf., quod iam diu cum praeteritis quibusdam huius uerbi (item uerborum qualia sunt *debeo*, *oportet*, *decet* al.) perf. inf. nonnumquam poni solebat; uelut Ter. Andr. 238 sq. *nonne oportuit | praecisse me ante?;* Plaut. Amphitr. 544 *cauisse oportuit;* Plaut. Mil. 730 *itidem diuos dispertisse uitam humanam aequom fuit.* Nimirum obuersatur

* Sed hoc iam posuit. credo, Auctor inc. ad Herennium IV xxxv (Marx) *is oportet istum maximas poenas dedisse* (*uelit*); *uelit* bl omis. dM.

animo loquentis, quod praeterito tempore fieri oportuisset, hoc praesenti factum esse oportere.

Ubi sententia adiuncta erat irrealis hypothetica, hoc imprimis fiebat. Sed hoc facile ad praeterita eorum uerborum uniuerse transferri potuit, ut quasi temporum quaedam assimilatio tantum esse uideretur. Cfr Schmalz [3] p. 297. Unde usus ad totum uerbum dilatari potuit; cfr Plaut. Aul. 828 . . . *nón potes probásse nugas.*

De uerbo *possum* profectus ad alia facultatis uerba postea fluxit, opinor, usus ille. Ad hunc perf. inf. usum dilatandum multum ualuisse credo et uerba quaedam plerumque impersonalia, quibus rite subiungeretur perf. inf., uelut *iuuat*, *piget*, *pudet*, *prodest*, et uerbum *esse* cum adi., adu., subst. coniunctum, imprimis *satis erit*. Ubi saepe adeo obscuratur perf. inf. uis primigenia, ut ab inf. praesentis ui uix recedere transuersum unguem uideatur. Sed quamuis multa ad usum illum constituendum ualuisse uideantur, grauissimam sane crediderim fuisse metri rationem.

Non est in animo afferre exempla, ubi uis perf. inf. primigenia nullo modo obscurata elucet; uelut VII 604 *uenia gaudet caruisse secunda.* Ubi *caruisse* ≐ »att ha lyckats slippa undan (nad för andra gangen)». Item IV 620 *miranturque habuisse parem. Habuisse* = »att de fatt (en jämstark motstandare)». Item IX 291 sq. *gaudet . . . diuitias seruasse casae*». Sed in confinio esse uidetur VI 541 *immergitque manus oculis gaudetque gelatos | effodisse orbes.* Iam uero ad exempla digesta afferenda transeo.

a) Inf. perf. pendet a uerbo uoluntatis aut uerbo contigua ui praedito:

Exx. III 368 sq. *non excludere tantum, | exclusisse uolunt.* V 493 sq. *ad Caesaris arma iuuentus | naufragio uenisse uolet.* V 758 sq. *sitque mihi . . . quo fugisse uelim.* VIII 794 *quo condi maluit illum | quam terra caruisse Socer.* IX 567 *occubuisse uelim potius quam regna uidere.* Sed fortasse *occubuisse* = »vara död». X 154 *optabit patriae talem duxisse triumphum.* Sed hoc exemplum fortasse huc non pertinet; cfr *»utinam . . . duxissem!»*

VI 426 *nec quaesisse libet.* III 344 *excepisse . . . parati . . . uaerere . . . lambere.* X 180 *paratus . . . quaesisse . . .*

b) Inf. perf. sequitur uerbum facultatis:

I 258 *non ausus timuisse palam;* VIII 542 *inseruisse . . . audes?;* VIII 841 *mouisse uerebitur . . ?;* II 343 *liceat . . . scripsisse;* VII 688 *resperisse uacat;* VI 607 sqq. *conceditur arti . . . inseruisse moras;* IV 21 sq. *uetitus . . . pepulisse;* V 229 sq. *tot mundi caruisse malis, praestare deorum | excepta quis morte potest?.* Adiectiua: I 326 *docilis . . . uicisse;* VIII 381 *melior cessisse loco quam pellere;* IX 55 sqq. *indigna fui . . . accendisse . . . incubuisse. — exurere . . . componere . . . infundere.*

c) Inf. perf. coniungitur cum uerbo aliquo impersonali aut uerbo *esse:*

Vis perfecti inf. non nimis diuersa uidetur a ui praesentis inf.

Post *satis est* inf. perf. plerumque perfectam actionem haud obscure significat; ex. gr. II 494 *non satis est muris latebras quaesisse pauori?;* VIII 687 *nec satis infando fuit haec uidisse tyranno;* acc. c. inf. IX 584 *hoc satis est dixisse Iouem.* Contiguum est perf., quod post *contentum esse* inuenitur; actio perfecta haud obscure indicatur II 366 *contenti fecisse duos;* paullo aliter III 534 *contentae creuisse;* cfr III 466 *haud unum contenta latus transire quiescit* — ubi metro admitteretur *transisse* —.

I 598 *soli cui fas uidisse Mineruam;* quod exemplum sub b) item afferre licet. II 105 sqq. *non . . . piguit . . . praecepisse . . . nec . . . rumpere;* altera lectio (U G_1 m Acro) *praecipitasse.* II 299 *iuuat . . . inseruisse . . . tenuisse;* II 443 sq. *non tam portas intrare patentis, | quam fregisse iuuat;* VII 617 *impendisse pudet;* IX 406 *deceat fugisse uiros;* II 116 *uix secula longa decorum | sic meruisse uiris;* III 241 sqq. *quanta est gloria genti | iniecisse . . . donasse;* II 110 *et uisum lenti quaesisse nocentem;* II 113 sq. *spes una salutis | oscula pollutae fixisse trementia dextrae;* IV 565 sq. *pietas ferientibus una | non repetisse fuit;* IV 576 sq. *quam non sit ardua uirtus | seruitium fugisse manu;* V 687 *saeuitia est noluisse mori;* V 771 sq. *secura uidetur | sors tibi, quum facias etiamnunc uota, perisse.* Atque h. l. praes. inf. aeque admittitur metro. Multa alia exempla uidentur afferri posse. Lucanus denique ut uidetur hunc usum dilatasse, ita non uidetur huius perf. inf. genera nouasse.

E. Participium.

Participium praesentis: De ptcpio praes. aoristico sensu adhibito Schmalz egit p. 308 (§ 172). Unum tantum exemplum ita constitutum inueni,
III 419 *procumbentis iterum consurgere taxos.* Tali in re graece licet aut ptcp. praes. (= »allt efter som de falla en efter annan, resa sig ånyo») aut ptcp. aoristi usurpare. Afferre liceat alterum Lucaneum exemplum, quod haud scio an alio modo sit explicandum,
IX 1019

Thessalicas quaerens Magnus reparare ruinas
ense iacet nostro.

Participium praesentis h. l. totum est sanum, nisi fallor, nam *iacet* uim quandam habet perfecti = cecidit (*quaerens*).

Notandus usus ptcpii praesentis exstat
III 731

saepe cadens longae senior per transtra carinae
peruenit ad puppim spirantisque inuenit artus.

Sed et hoc ptcp. praes. defendi potest quodammodo, quod actio uerbi, quod est *peruenit*, per se »punctualis» tamen in se continet uim quoque motus ad finem pergentis. — Schmalz exempla actionis duratiuae eximenda esse affirmat, an iure ambigi potest. Cuius generis sunt loci quales Sallust. Iug. 113,1 *haec Maurus secum ipse diu uoluens tandem promisit;* Liu. XLV x 6 *diu negantes* (acc.) *perpulerunt.* Duratiuam actionem eius generis, quod »cursiuum» uocant, exhibet Verg. Aen. I 492 *ducit Amazonidum lunatis agmina peltis | Penthesilea furens mediisque in milibus ardet, | aurea subnectens exsertae cingula mammae | bellatrix . . .* — Cognati sunt multi Lucanei loci. ubi ptcp. praes. attributi instar positum duratiuum est et consuetudinem uel capacitatem exprimit. — Cfr Heitland introd. p. CVI. — Exempla nonnulla affero: I 603 sq. *Salius laeto portans ancilia collo | et tollens apicem generoso uertice flamen;* III 176 *populisque per aequora mittens | Sicaniis Alpheos aquas;* III 280 *auroque ligatas | substringens, Arimaspe, comas; hinc fortis Arius | longaque Sarmatici soluens ieiunia (belli) Massagetes . . . ;* VI 387 *. . . effudit in antris: | aspera te Pholoes*

frangentem Monyche saxa, | *teque sub Oetaeo torquentem uertice uolsas.* | *Rhoete ferox, quas uix boreas inuerteret, ornos;* VI 672 sqq. (*non . . . defuit . . .*) *non puppim retinens euro tendente rudentis* | *in mediis echeneis aquis . . . ;* VII 569 *Bistonas . . . Mauors agitans;* IX 719 sqq. *uergens . . . amphisbaena . . . distendens . . . prester . . . dissoluens . . . seps . . . effundens . . . nocens . . . basiliscus.* —

Participium futuri:* Hoc ptcp. Lucanus ualde adamasse uidetur; sunt et genera significationum uaria et exempla sescenta. Hae imprimis inueniuntur significationes:

1. Significatur is, qui alqd erit, fiet, faciet; siue

a) nulla proprie audienda est causa; siue

b) hoc rerum fiet natura; siue

c) a fato constitutum est, ut hoc ita fiat.

a) Exempla: I 511 sqq. *urbem . . . facilem uenturo Caesare praedam* | *ignauae liquere manus;* II 528 *secuturo . . . Phoebo;* III 596 *semper uenturis componere carbasa uentis;* V 566 *flatus . . . incerta futuri;* VI 456 *frontis amaturae subducunt pignora fetae.*

b) Exempla: I 12 *bella geri placuit nullos habitura triumphos?;* I 462 *ignauum rediturae parcere uitae;* III 381 *res immenso placuit statura labore;* III 453 *impatiens haesuri ad moenia Martis;* IV 53 *non duraturae conspecto sole pruinae;* V 704 sq. *parumque insurgere caelo* | *fracturum pelagus boream;* VI 196 sq. *quid . . . perditis haesuros numquam uitalibus ictus?;* VI 703 sq. *repetitaque fila sorores tracturae.* Alia exempla sunt I 141 sqq.; II 691 sqq.; IV 1 sqq.; 748; 775 sq.; V 148 sqq.; 449 sq.; VI 7 sq.; 715 sq.; VII 60; 211; 271 sqq.; VIII 74; 604 sqq.; 622 sqq.; 865 sq.; IX 49 sq. —

c) Exx.: I 33 sq. *quod si non aliam uenturo fata Neroni* | *inuenere uiam;* II 74 sq. *consul et euersa felix moriturus in urbe* | *poenas ante dabat scelerum;* III 169 sq. *Magni fortuna . . . secum casuras in proelia mouerat urbes;* IV 519 sq. *uicturosque dei celant . . .* | *felix esse mori;* V 635 sq. *redire* | *nox manes mixtura deis.* — *Futurum* substantiue adhibetur I 522 sqq.; II

* Alfred Koeberlin commentatione Actis seminarii Erlangensis V (edd. Iwan Mueller et August Luchs) inserta »participiorum usum Liuianum« tractauit. Pars eius altera est »de ptcpii futuri actiui apud T. Liuium, Q. Curtium Rufum, Iulium Florum usu«. Nec tamen partitio eius satis placet, quam genera non satis firmis cognationis uinculis connexuerit me quidem iudice.

233; V 89 sq.; 112 sq.; 129 sq.; 137 sq.; 179; 199 sq. *Venturum* subst. est IV 192; V 732 sq.; VI 423 sqq.; 590 sq.; VII 20. — Alia exempla huius ptcpii sunt I 99 sq.; 233; 469 sqq.; II 6; 14 sq.; 63 sq.; 523; 718 sq.; III 5 sqq.; 211 sq.; IV 204 sq.; 481; 516 sq.; VI 61; 391 sq.; 414 sq.; 639 sq.; 710 sq.; 788 sq.; VII 47 sqq.; 104 sq.; 129 sq.; 151 sq.; 328 sq.; 591 sq.; 814 sq.; VIII 96 sq.; 692; 693; 865 sq.; IX 316 sqq.; 985. — Bis ptcp. fut. praedicati uices sustinet omisso uerbo substantiuo *esse;* in sententia primaria (sed interpretatio non certa): VI 715

licet has exaudiat herbas,
ad manes uentura semel.

In relatiua sententia: VII 781

hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia uidit
aut ultrix uisura dies stringente senatu,
illa nocte premunt.

2. Usus finalis aut omnino uoluntatiuus:

a) Hoc genere ptcpii significatur eum, cuius maxime interest, quid agatur, operam dare, ut faciat aliquis alqd uel ut omnino fiat alqd.

Subiectum nimirum id, quod actione sua effectum uolt, certo futurum esse arbitratur.

I 220 sq. *primus in oblicum sonipes opponitur amnem excepturus aquas;* II 331 sq. *alios fecunda penates | impletura datur;* II 360 sq. *non . . . tectura pudorem . . . uelarunt flammea uoltus;* II 505 sq. *moturas ingentia pondera turres | erigit;* II 541 sq. *Catilina parauit | arsuras in tecta faces;* III 221 *mansuram rudibus uocem signare figuris;* IV 211 *addidit ira ferox moturas proelia uoces;* V 280 *oculos morti clausuram quaerere dextram;* VI 761 sq. *uox illi linguaque tantum | responsura datur;* X 431 *seruatur poenas in aperta luce daturus.*

b) Significatur alicui in animo esse facere alqd uel aliquem paratum esse ad aliquid faciendum. — Ubi inter uerbum principale et ptcp. ratio intercedit finalis hoc genus priori contiguum sane. Velut:

III 290 sq. *tot immensae comites missura ruinae | exciuit populos;* III 626 *insiluit solo nociturus pondere puppem;* IV 225 sq. *non iret in aequor | turrigeras classis pelago sparsura*

carinas: IV 270 sq. *casurus in hostes* | *fertur:* IV 276 sq. *en sibi uilis adest inuisa luce iuuentus* | *iam damno peritura meo:* V 237 sq. *Caesar remeabat . . .* | *uictrices aquilas alium laturus in orbem:* V 711 sq. *Strymona . . . relinquunt* | *poturae te, Nile, grues.* Alia finalis usus exempla sunt VI 167 sqq.; 552 sq.; 581 sqq.; X 438 sq. — Ad alia exempla, quibus nulla finalis uis exprimitur, transeo. Atque totus hic usus facilem habet explicatum; libenter enim, quod quis in animo habet facere, id se facturum quoque credit. Exx.: II 35 sq.; 277 sqq.; 447 sqq.; 528 sqq.; III 616; V 21; 365 sq.; VI 238 sq.; 316 sqq.; 789 sq.; VII 33; 95 sq.; 170 sq.; 236 sq.; 297 sq.; 462 sqq.; VIII 335 sqq.; IX 378; X 63 sqq.

Huic generi affine esse uidetur id, quo

c) Significatur in eo esse, ut fiat aliquid; hoc ptcp. de actionibus (iamiam ingruentibus), in quibus arbitrio et uoluntati nihil est loci, adhibetur.

II 499 *ruiturum ascendite pontem:* II 529 *temptandasque ratus moturi militis iras;* IV 38 sqq. *acies . . .* | *. . . in tergum casura umbone sequentis* | *erigitur:* IV 43 sq. *uidet lapsura ruina* | *agmina dux:* IV 455 sq. *ruituraque semper* | *stat — mirum — moles;* V 428 sq. *summaque pandens* | *suppara uelorum perituras colligit auras:* V 549 *tum lurida pallens* | *ora tulit uoltu sub nubem tristis ituro;* VII 244 *casuram fatis sensit nutare carinam:* VII 403 sq. *stat tectis putris auitis* | *in nullos ruitura domus;* VII 566 sq. *uolnera multorum totum fusura cruorem* | *opposita premit ipse manu.* Atque hoc ex. uim quandam habet irrealiter hypotheticam, quum actione principali auertatur id, quod ingruere indicat fut. ptcp.

3. In structura aliquomodo hypothetica fut. ptcp. inuenitur.

a) Sensus condicionalis haud obscure expressus est.

II 295 sqq. *procul hunc arcete furorem,* | *o superi, motura Dahas ut clade Getasque* | *securo me Roma cadat:* III 621 sq. *telaque multorum leto casura suorum* | *emerita iam morte tenet;* III 665 *nutaretque ratis populo peritura recepto:* III 727 sq. *non ille iuuentae* | *tempore Phocaicis ulli cessurus in armis;* IV 807 sq. *felix Roma quidem ciuisque habitura beatos* | *si . . . superis . . . placeret;* V 305 sqq. *non illis urbes spoliandaque templa negasset* | *. . . matresque senatus* | *passurasque infanda*

nurus: V 448 sq. *illinc infestae classes et inertia tonsis | aequora moturae;* VI 349 sq. *melius mansura sub undis | Emathis:* VII 730 sq. *ut uiles animas perituraque frustra | agmina permisit uitae:* IX 61 sq. *quidquid ab exstincto licuisset tollere busto, | in templis sparsura deum:* IX 611 *aspexit perituros fonte relicto:* X 462 sqq. *sumpturus poenas . . . | missurusque tuum, si non sint tela nec ignes | in famulos, Ptolemaee caput.*

b) Sensu condicionali prope nullo huiusmodi euadit fut. ptcpii usus, quo indicetur, quid, si res ita ferat, facere ualeat aliquis.

Exx.: II 418 sqq. *dum permeat orbem | Hister casuros in quaelibet aequora fontes | accipit:* IV 15 sq. *saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu | hibernas passurus aquas;* IV 680 sq. *Marmaridae uolucres aequaturusque sagittas | Medorum, . . quum torsit(!) missile, Mazax;* V 366 sq. *uelut ensibus ipsis | imperet inuito moturus milite ferrum:* VI 438 sqq. *herbasque nocentes | rupibus ingenuit sensuraque saxa canentes | arcanum ferale magos. ibi plurima surgunt | uim factura deis:* VII 414 sq. *moeniaque in praeceps laturos plena tremores | hi possent explere uiri;* X 315 sqq. *quis te tam lene fluentem | moturum totas uiolenti gurgitis iras, | Nile putet?;* X 480 sq. *non aries uno moturus limina pulsu | fracturusque domum, non ulla est machina belli.* Interdum ita obscurari uidemus uim et futuri temporis et facultatis, ut fut. ptcp. nihil indicet nisi qualitatem inhaerentem uel morem rei proprium. Tum ptcp. futuri idem fere ualet quod id ptcp. praesentis, quod VI 386—90; 672 sqq. notauimus; de qua re uide supra p. 66. Exempla fut. ptcpii eiusmodi sunt IX 708 sq. *at non stare suum miseris passura cruorem | . . . haemorrhois:* IX 712 *et semper(!) recto lapsurus limite cenchris:* IX 717 sq. *et scytale sparsis etiamnum sola pruinis | exuuias positura suas.* Conferre sane licet eum futuri usum, quem ex. gr. IX 781 sq. notauimus; de qua re uide supra p. 40.

Ptcp. fut. addito uerbo substantiuo praedicati uices sustinet III 42; VI 711; VII 464. Omittitur u. subst. in sent. rel. VII 781 sq. Ubi hoc ptcpio formatus infinitiuus futuri adhibetur, nusquam positum uerbum *esse* repperi. Cfr III 99 sq. *creditur . . . rapturus:* III 431 *credebant redituras:* V 577. *fisus cuncta sibi cessura pericula:* VII 613 sqq. *te . .*

graues poenas . . . daturum . . . sperare licet; IX 554 sq. *cui crediderim superos arcana daturos | dicturosque magis . . . uera . . .?*; X 315 sq. *quis te . . . moturum . . . putet?* Post uerba uidendi incertiora uidelicet sunt exempla: IV 43 *uidit lapsura ruina | agmina dux;* IX 611 *asperit perituros fonte relicto.* Illi quidem, qui ex infinitiuo *-ūrum* (< *-*ū-esom*) deducendum esse *-urum esse* atque inde *-urus, -a, -um* docent, haud obscura uestigia originis eius ex omisso uerbo *esse* repeti posse crediderint. Sed animaduertendum est et perf. inf. longe saepissime omissum exhibere uerbum subst.; semel tantum plenam perf. infinitiui formam apud Lucanum inueni. III 447 sq. *quis enim laesos impune putaret | esse deos?* —

II. De modorum ac temporum in sententiis secundariis usu.

A. Sententiae relatiuae.

a) Quisquis, quicumque, ubicumque, quocumque, quacumque:

Indicatiuuus: *Quisquis:* II 162; 313; 564; IV 65 sqq.; 127; 643; V 34; 260; 292; 349; VI 371; 437; 498; 670; 684; 710; 772; 775; VII 346; 363; 556; 703 sq.; 755; 829; VIII 179; 365; 502; 812; IX 93; 239 (e sent. prim. audiendum uerbum); 279; 523 sq.; 576; 595; 779; 860; 1055. In tempore primariae non offendendum

VIII 365

quidquid ad eoos tractus mundique teporem,
ibitur, emolllit gentes clementia caeli.

H. l. *emollit* uerbum causam reddit, cur eoae gentes molles sint. Desideratur, quod uerbi principalis loco ponatur, *emollitae erunt* (= esse inuenientur) *gentes cl. c.* — VIII 179 sqq. lectio incerta est. Haskins (Weise) et Francken sic legendum censent: *quidquid descendit* (V P U G C) *ab arbore summa | Arctophylax propiorque mari Cynosura feretur, | in Syriae portus tendit ratis* (M V P_1 G). Hosius quidem: . . . *descendet*

(A M E) . . . *feretur . . . tendet* (A U B). Haud alienum uidetur ea, quae paullo supra scripsit poeta, intueri (uu. 176 sqq.): *hic quum mihi semper in altum surget* (O exc. P G m) *et instabit summis minor Ursa cenuchis*, | *Bosporon et Scythiae curuantem littora Pontum* | *spectamus*. Atque his ambobus eandem plane inter enuntiata secundaria et principalia intercedere rationem apparet. Etiamsi priore loco ad efficiendum praesens primariae, *spectamus*, metri ratio non nihil ualuit, tamen posteriorem locum ad similitudinem prioris effictum esse arbitrari non piget. Verbum subst. omittitur VIII 642 sqq. *sed quisquis in istud* | *a superis immisse caput uel Caesaris irae* | *uel tibi prospiciens, nescis* . . . —

Quicumque: I 383; 418; 631; II 584; III 101; 309; 581; 624; IV 62; 487; 497; V 439; 658; VI 241; VII 16; 189; 312 sq.; 745; VIII 18; 172; 203; 363; 379; 385; 628; 746; IX 143; 331; 398 sq.; 431; 538; 580; 990; X 179; 223 sq. — Verbum omittitur I 375 *perque tuos iuro quocumque ex hoste triumphos*; X 374 sq. *toris dominam mactemus in ipsis* | *cum quocumque uiro*. Ubi *quicumque* ad uim idefiniti pronominis prope accedit.

Ubicumque: IV 119; VIII 102; X 283. — Verbo omisso indefinito sensu adhibetur VII 674 sq. *socero spectare uolenti* | *praestandum est ubicumque caput*.

Quocumque: VII 815; IX 884 (uerbum subst. omissum; praedicati uices sustinet ptcp. perf.). Talibus locis, qualis est IX 884 sq., hoc aduerbium non omnem relatiui aduerbii uim exuisse uidetur; cfr Samuelsson p. 57. — VII 815 sq. sic constituit Hosius: *quocumque tuam fortuna uocabit,* | *hae quoque sunt animae. Sunt* codices exceptis U_1 m z P, qui *eunt* exhibent. Postgate acute conicit *erunt*, quod recepit Francken.

Quacumque: VI 550; VII 567.

Coniunctiuus: I 149 sq. *impellens, quidquid sibi summa petenti* | *obstaret* . . . Coni. obliquus est, opinor: »vräkande allt öfver ända, som efter hans uppfattning stod i vägen för hans sträfvan mot maktens tinnar». Item I 387 sq. *elatasque alte, quaecumque ad bella uocaret,* | *promisere manus.* VI 316 *arma secuturum soceri, quocumque fugasset,* . . . — VII 80 *sit iuris, quocumque uelint, concurre campo.* H. l. num coni. »translatus» est e sententia primaria? III 146 sq. *cuius seruaueris umbram,* | *si quidquid iubeare, uelis.* Huius coniunctiui expli-

catio non admodum diuersa esse debet, opinor. Accedit, quod secunda persona ad pronomen quod est »man» exprimendum adhiberi uidetur. IX 61 sq. *quidquid ab exstincto licuisset tollere busto, | in templis sparsura deum?* H. l. relatiua sententia idem ualet quod sententia irrealiter condicionalis. Apodoseos hypotheticae uim habet sent. rel. IX 1023 sq. *accipe, quidquid | pro Magni ceruice dares.* VII 387 sq. *hae facient dextrae, quidquid non expleat aetas | ulla nec humanum reparet genus* . . . Coniunctiuum »qualitatiuum» (»consecutiuum») esse credo, nam »coniunctiuum pro futuro» quid aliud esse dicamus quam qualitatiuum? Quod ad [1] pronomen Postgate recte monet *quidquid* Lucano esse in deliciis, se ddum explicare conatur, quanam ratione *quidquid* h. l. posuerit Lucanus, non item satisfacit conferendo VIII 179 sq. Haskins uero recte docet *quidquid* idem fere significare ac *quantum.* Mihiquidem *quidquid* h. l. significat non *omnia, quae*, sed nescio quo modo *quae* . . . *omnia* (= quantum); nisi quidem hoc pronomen temere pro *quod* positum esse credimus.

b) Ceterae relatiuae sententiae:

Indicatiuus: Relatiuum pro demonstratiuo (»adiunctio relatiua») his locis inuenitur haud obscure: I 585; II 279; 576; III 146; 585; 609; 730; IV 160; 466; 711; V 65; 561; VI 409; 423; 589; 681; VII 739; 764; 845; VIII 63; 186; 289; 328; 475; 562; IX 125; 225; 355; 659; 671; 830; 911; 952; X 43; 55; 82; 214; 328; 361 (adiungitur periodus hypothetica).[2] Sunt uero multi nexus laxioris gradus, qui ab adiunctione relatiua haud facile discernuntur; ex. gr. II 475, ubi Haskinsum adiunctionem relatiuam constituere apparet. Alia neque illa omnia eiusdem generis exempla sunt II 122; III 487 sq.; V 164; 459; 581; VI 82; 215; 250; VII 247; VIII 400; IX 225; 350; 439; 501; 699; 948. Interdum sententiam relatiuam continuo excipit sententia libera aut relatiua, ubi quodnam audiendum sit pronomen relatiuum haud facile discernas. Velut VI 82

---

[1] Si continuatur rel. sent., quae inducta est *quicumque* (u. *quisquis*) pronomine, hoc pronomine, quod est *qui*, excipitur; cfr VII 312 sqq.; 346 sq. VII 703 sq. *quidquid* dissolute iteratur contentionis augendae causa.

[2] Quorum locorum numerum si cum uersuum numero uniuerso contulerimus, haec euadet ratio: 218 : 1. Ouidi Metamorphoseon tres libros peruoluens (I, VII, XV) hanc repperi esse ibi rationem: 77 : 1. Apud Valer. Flaccum 329 : 1, in Aeneide 116 : 1 rationem esse docet Samuelsson.

(ubi fortasse melius constituitur adi. rel.); item fortasse VIII 400; X 141 sqq. Notanda copulatio sententiae primariae III 256 sqq. *caput rapido tollit cum Tigridè magnus | Euphrates, quos non diuersis fontibus edit | Persis, et incertum, tellus si misceat amnes, | quod potius sit nomen aquis.*

H. l. afferre lubet ea exempla, ubi sententia relatiua parenthesin efficit, id quod tum praecipue fit, quum ad uerbum uel totam primariam sententiam refertur pronomen relatiuum; uelut I 626; IV 203 sq.; 622; VI 132; VIII 555 sq.; 650; IX 1015; X 176. Semel tantum (VI 132) post correlatum rel. sent. collocata est. Usque adhibetur pron. *quod*, nusquam *id*, *quod*, secundum aetatis argenteae sermonis usum. Vide Schmalz p. 445. —

Relatiua sententia raro adhibetur ideo, quo maior ita uis per emphasin rei accedat; uelut VIII 491 *libertas scelerum est, quae regna inuisa tuetur;* item VII 501 *extremum est, quod quisque ferit.* Apud Ouidium duo item inueni exempla, quae ambo coniunctiuum habent, Metam. I 618 sq. *pudor est, qui suadeat illinc, hinc dissuadet amor;* Metam. IV 499 *mens est, quae diros sentiat ictus.* Contiguum fortasse est ex. IV 470 *quod uellet, erat, ne regia Cadmi staret . . .* De coni. uide Hale p. 166 sq. ex. prim. et ult. coniunctiui.

In relatiua sententia continuanda si casus pronominum relatiuorum differant, constat in altero membro aut iterari pron, rel. — uelut I 639 sqq. *Figulus, cui cura . . . fuit, quem non . . . aequaret;* VII 254 sqq. *haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas | promissam memini, cuius spe mouimus arma, in quam distulimus . . .;* IX 126 sq. *o felix, quem sors . . . dispersit . . . quique audis;* IX 390 sqq. *hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent, | qui . . . putant;* IX 439 sqq. *Nasamon . . . qui . . . tenet, quem . . . alit* — aut demonstratiuo commutari — tum in primariam sententiam mutatam esse apparet relatiuam; de qua re uide paullo supra — aut diuersum relatiui casum ex eo, qui positus sit, intelligi; uelut e genetiuo auditur nom. IV 542 sqq. *ecquis . . . est, cuius sit dextra . . | digna . . . certaque fide . . . | testetur se uelle mori?* E datiuo nom. X 456 sq. *hic, cui Romani spatium non sufficit orbis | paruaque regna putet . . .* Ex accusatiuo datiuum audire licet X 350 sq. (*Achillam*) *quem puer imbellis cunctis praefecerat armis | et dederat ferrum . . .* Item, nisi me fallo, VIII 65 sqq.

frustraque attollere terra semianimem conantur eram, quam pectore Magnus | ambit et astrictos refouet complexibus artus. —

Supra demonstrauimus in sententia indefinite relatiua interdum omitti uerbum. Quod de his quoque sententiis relatiuis ualet; uelut omissum est uerbum subst. VII 781 sqq. *omnes gladii, quos aut Pharsalia uidit | aut ultrix uisura dies . . . . . . premunt . . .* I 597 sq. *sacerdos, | Troianam soli cui fas uidisse Mineruam:* VI 671 sqq. *non spuma canum, quibus unda timori, . . . defuit.* Sed *timori est* codd. V P U Z G (N?). VIII 409 sq. *cui fas implere parentem, | quid rear esse nefas?;* IX 330 sq. *sors melior classi, quae fluctibus incidit altis | et certo iactata mari;* IX 391 sq. *pati uel quae tristissima pulcrum | Romanumque putant.;* IX 852 sq. *ire libet, qua zona rubens et axis inustus | solis equis;* X 240 sq. (*Zephyros . . .*) *quorum stata tempora flatus | continuique dies et in aere longa potestas.* In sententia generali praedicatum deest et primariae sententiae et relatiuae X 408 *ibi fas, ubi proxima merces.* — Verbum aliud omissum est II 726 sq. *non ea fata ferens, quae, quum super aequora toto | praedonem sequerere mari.*

Coniunctiuus: Seorsum tractare idoneum erit ea coniunctiui genera, quae sententiis relatiuis aut cum aliis secundariis sententiis (= coni. obliquus) aut cum liberis sententiis communia sunt. Obliquus coni. est VII 54 sq. *qui . . . uellet . . . timeret;* VII 690 *hui perstet;* VIII 567 *qui uetet . . .* — Coni. irrealis saepius adhibetur; uelut IV 152 *quod fugiens timuisset;* IV 243 sq. *quae . . . tulisset;* IV 313 *quas nollet uicturus;* VI 140 sq. *quem non . . . auferret;* VIII 11 sq. *quantum . . . ipse daret;* X 454 *quem non uiolasset Alanus . . .* — Condicionalis sententia adiungitur III 253 sqq. *quod non premeretur . . . nisi procederet.* Incertus locus est IV 814 sq. *haud alium tanta ciuem tulit indole Roma, | aut cui plus leges deberent recta sequenti.* Haskins sic interpretatur: »*recta sequenti*] 'had he followed the path of right'.« Sed de hoc loco uide infra p. 78. — Coni. potentialis: I 640 sq. *quem non . . . aequaret;* VI 436 sq. *ficti quas nulla licentia monstri | transierit.* — Coniunctiuum eius generis, quod Hale (l. l. p. 56 not.) appellari uolt Konj. der »ideellen Gewissheit«, agnoscas I 53 sqq. *sed neque in arctoo sedem tibi legeris orbe, | nec . . . qua . . ., | unde tuam uideas obliquo sidere Romam.* Indefinitus sensus est

uerbi secundae personae (= »man») IV 482 sqq. *par animi laus est et quos speraueris, annos | perdere et ...* — Translatus coni. est (C. Zander »subiectiuum» uocat) VI 605 sqq. *si fata minora moueres, | pronum erat, o iuuenis, quos uelles, inquit, in actus, | inuitos praebere deos.* Cfr Cic. Tusc. I v 9 *nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset, neminem tuquidem eorum,* ***qui uiuerent,*** *exciperes.* — Unum addo coniunctiui genus, quod, etsi neque obliquus est coni. nec liber, h. l. tractare non alienum erit, dico coni. iteratiuum; exempla Lucanea sunt I 146 sq. *acer et indomitus, quo spes quoque ira uocasset | ferre manum;* I 173 *inde irae faciles et, quod suasisset egestas, | uile nefas.* — Restat locus unus, quem haud scio an melius hic quam sub obliquo coni. afferas I 149 sq. *impellens, quidquid sibi summa petenti obstaret ...* — Coni. huius sententiae rel. generalis iteratiuus esse uidetur; si quis dicat *sibi* pronomen documento esse obliquum esse coniunctiuum, moneo pronomine reflexiuo Lucano saepius usum esse liberrime; uelut IX 192—4; 638—9. —

Coni., qui proprie in rel. sententiis adhibetur:

Coni. finalis: I 344 sq. *quae rura dabuntur, | quae noster ueteranus aret?*; II 451 sq.; IV 720 sq.; V 221 sq.; VI 774; VII 30 sqq.; 649 sqq.; VIII 736 sq.; IX 709 sq.

Temporum usu conspicuus locus est X 327 sq. *hinc montes natura uagis circumdedit undis, | qui Libyae te, Nile, negent.* Locus incertus VII 641; quem cum codicibus plerisque sic constituunt Hosius (1905) et Francken: *uincitur his gladiis omnis, quae seruiat aetas.* Weise-Haskins et Postgate * (cfr Heitland Cl R IX p. 197) cum P U G m v edunt *seruiet.* Sed collato uersu proxime antecedente (. . . ***in totum mundi*** *prosternimur* ***aeuum***) mihi quidem magis arridet constituere coniunctiuum = »ad seruiendum».

Coni. consecutiuus: Quem coniunctiuum a »qualitatiuo» saepius haud facile secernas. Sed discrimen obtinere placet cum Samuelssonio (p. 63) exemplo Halei et Dittmari. Exempla sunt III 538 sqq. *ut tantum medii fuerat maris utraque classis | quod semel excussis posset transcurrere tonsis, | ... miscentur ...*; VII 638 sq. *maius ab hac acie, quam quod sua*

* P. tamen in appendice critica hoc habet: »*quae seruiat* 'to be slaves' may however possibly be right».

secula ferrent. | *uolnus habent populi: . . .* — Postgate, ut tempus explicet, *habent* praesens historicum esse docet; sed praesens in eiusmodi repraesentatione adhibitum (cfr sequenti uersu *prosternimur*) uix esse uidetur tempus, quod rite sequatur forma uerbalis praeteriti temporis. An e metri necessitate excusandus est poeta? — IX 305 sq. *nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi* | *acciperet, nec se defendit ab aequore tellus;* X 260 sq. *plus, quam quod digerat aer,* | *tollitur.*

Dignus adi. bis cum relatiua sententia connectitur, VI 602 *dignum, quod quaerere cures* | *uel tibi:* IX 508 sq. *quanto poena tu dignior ista es,* | *qui populo sitiente bibas!* —

Quam uero arto inter se nexu cohaereant usus coniunctiui finalis et consecutiuus, uel optime elucet e locis quales VI 156 sq. *e cunctis, per quos erumperet hostis,* | *nos sumus electi:* VI 206 *iam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem:* VIII 515 sqq. *cur sola cadenti* | *haec placuit tellus, in quam Pharsalica fata* | *conferres . . .?*

Coni. qualitatis: I 171 sq. *non erat is populus, quem pax tranquilla iuuaret,* | *quem sua libertas immotis pasceret armis:* VI 389 sq. (*effudit . . .*) *teque sub Oetaeo torquentem uertice uolsas,* | *Rhoete ferox, quas uix boreas inuerteret, ornos:* VIII 705 sq. *Pompeiusque fuit, qui numquam mixta uideret* | *laeta malis:* X 111 sq. locus incertus est; uulgo cum F contra ceterorum codicum *ex(s)truit* (*exstruet* V Z G) edunt: *ipse locus templi, quod uix corruptior aetas* | *exstruat, instar erat.* Apparet hunc coniunctiuum saepius coni. potentiali contiguum esse. VII 259 sq. *haec, fato quae teste probet, quis iustius arma sumpserit, haec acies uictum factura nocentem est.* V 815 *instabat, miserae Magnum quae redderet hora.* VII 91 sq. *testor, Roma, tamen Magnum, quo cuncta perirent,* | *accepisse diem.* H. l. coniunctiuum deberi orationi obliquae non crediderim. Eodem de genere esse uidentur hi loci: VII 131 sqq. *aduenisse diem, qui fatum rebus in aeuum* | *conderet humanis . . . .* | *. . . . palam est;* VII 238 sq. *oblatumque uidet uotis sibi mille petitum* | *tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.* H. l. obliquus quoque coniunctiuus esse potest. Item VI 6 sq. *funestam mundo uotis petit omnibus horam,* | *in casus quae cuncta ferat.* Nonne eodem huc pertinet III 14 sq. *uidi ipsa tenentis* | *Eumenidas, quaterent quas uestris lampadas armis . . .?* H. l.

afferendi uidentur esse loci illi, qui coni. pro futuro, qui uocatur, ostendunt; ex. gr. VI 806 sq. *ueniet, quae misceat omnis | hora duces:* VII 395 sq. (*poterunt monstrare . . .*) *rus uacuum, quod non habitet . . . senator:* VIII 869 sq. *ueniet felicior aetas, | qua sit nulla fides saxum monstrantibus illud.* — Huc pertinere uidetur V 329 sqq. *nobis uictoria turbam | non dabit, . . . quae . . . auferat et . . . comitetur . . . ?* —

Alia exempla cuniunctiui qualitatiui sunt: VI 36 sq. *exstruitur, quod non aries impellere saeuus, | quod non ulla queat uiolenti machina belli:* VI 554 sq. *si sanguine uiuo | est opus, erumpat iugulo qui primus aperto;* VII 355 sq. *quae uincere possent, | omnia contulimus:* VII 792 sqq. *epulisque paratur | ille locus, . . . ex quo . . . | agnoscat.* Coni. esse uidetur VIII 97 sq. *nunc accipe poenas, | sed quas sponte luam;* VIII 114 sq. *fac, Magne, locum, quem cuncta reuisant | secula, quem ueniens hospes Romanus adoret;* VIII 144 sqq. *da similes Lesbo populos, qui . . . non . . . uetent;* VIII 657 sq. *Pompeio praestare potest, quod Caesaris armis | imputet.*

In relatiua sententia, quae qualitatem exprimat, si cum adiectiuo (imprimis) connectatur, coniunctiuum requiri constat. (Cfr Samuelsson pp. 63 sq.). Exempla Lucanea sunt paucissima: VI 147 *pronus ad omne nefas et qui nesciret . . .* Incertiora sunt VI 649 sq. *maestum mundi confine latentis | ac nostri, quo non metuant admittere manes:* VIII 820 sqq. *haud procul est ima Pompei nomen arena | depressum tumulo, quod non legat aduena rectus, quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.* In duobus his exemplis de coni. potentiali cogitare possumus uidelicet. Sed haud scio an uerum exemplum sit

IV 814

haud alium tanta ciuem tulit indole Roma,
aut cui plus leges deberent recta sequenti.

Equidem Samuelssonio astipulor (p. 65 s.) inter coniunctiuos in relatiuis sententiis proprie positos afferenti hunc locum. Primum enim negandum uidetur ita a Lucano poni *sequenti* = si secutus esset (neque enim conferri potest IV 151 sq. *rapuitque ruens in proelia miles, | quod fugiens* timuisset, iter*); deinde rerum spectemus nexum: in hoc elogio exaggerationis pleno

* Nam ibi actiones coincidentes sunt, hic uero (IV 815) non item.

dicere uoluit nimirum poeta Curionis eloquentiam ceterasque ingenii uires multum primo profuisse legibus et rei publicae (cfr I 270 sq. — de Curione agitur — *uox quondam populi libertatemque tueri | ausus et armatos plebi miscere potentes*), tum uero Curionem ingenio praue usum multum nocuisse (cfr uu. 816 sqq. *nocuerunt secula, postquam . . . transuerso mentem dubiam torrente tulerunt: | momentumque fuit mutatus Curio rerum*). *Sequenti* ergo = »quamdiu secutus est». —

Indicatiuus quoque occurrit, idque ubi qualitatiuam uim in relatiua sen tentia inesse uix liceat negare. Velut IX 202 sq. *clarum et uenerabile nomen | gentibus, et multum nostro quod proderat urbi.*

IX 601

ecce parens uerus patriae, dignissimus aris,
Roma, tuis, per quem numquam iurare pudebit,
et quem, si steteris umquam ceruice soluta,
nunc olim factura deum es.

IX 607

inuentus mediis fons unus harenis
largus aquae, sed quem serpentum turba tenebat
uix capiente loco.

IX 766

parua modo serpens, sed qua non ulla cruentae
tantum mortis habet.

X 161

excepere merum, sed non Mareotidos uuae,
nobile sed paucis senium cui contulit annis
indomitum Meroe cogens spumare Falernum.

Sententia rel. haec per *sed* inducta post negationem posita aliam quodammodo habet uim quam sententiae supra allatae, sed tamen qualitatiua est. Indicatiuum item habet V 741 sq. *uenit maesta dies et quam nimiumque parumque | distulimus.*

In relatiuis sententiis, quae ad adiectiua, qualia sunt *unus*, *unicus*, *solus*, referuntur, coni. frequens esse solet. Exempla pauca Lucanea inueniuntur: Coni. potentialis quoque esse potest h. l., VIII 429 sq. *gens unica mundi est, | de qua Caesareis possim gaudere triumphis.*

IX 246 sq. *et toto solus in orbe est, | qui uelit ac possit uictis praestare salutem:* IX 616 sqq. *dubiumque uenenum | hausit.*

et in tota Libyae fons unus harena | ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.

Indicatiuum habet ex. consimile, IX 636 sq. *hoc habet infelix cunctis impune Medusa | quod spectare licet.*

Sequuntur coniunctiui eiusmodi, quales sub nomine indefiniti usus afferri solent in grammaticis artibus. Sunt uero uarii admodum generis. III 131 *sunt, quos prosternas, populi, quae moenia dones:* III 335 *sit, quo ueniatis inermis:* V 592 sq. *quaerit . . ., quod praestet fortuna mihi:* V 758 sq. *sitque mihi . . . | quo fugisse uelim.* Paullo aliter comparata sunt I 473 sqq. *est qui . . . afferat:* X 247 sq. *sunt qui . . . . . . putent . . .* —

Ex usu relatiui pronominis, cui infinitum est correlatum, repetenda esse uidetur origo sententiae qualis est V 729 sqq. *quod nolles stare sub ictu | Fortunae . . ., | coniunx sola fuit.* —

Negatio uel interrogatio sententia primaria continetur IV 501 sq. *sed non maiora supersunt | obsessis, tanti quae pignora demus amoris.*

IV 542

ecquis, ait, iuuenum est, cuius sit dextra cruore
digna meo certaque fide per uolnera nostra
testetur se uelle mori?

V 139 sq. *seu Paean . . . | ora, quibus soluat, nostro non inuenit aeuo:* VI 133 sq. *qui uolnera ferrent, | iam derant:* IX 163 *nec, Nilus cui crescat, erit:* IX 745 sq. *defessos iret qui sudor in artus, | non fuit:* X 189 *nihil est, quod noscere malim.* — H. l. afferre licet locum unum, quo exspectandus erat coni.; Lucanus uero indicatiuum habet,

VIII 851

nam quis . . . .
ibit . . . .
. . . .
. . . *quem non tumuli uenerabile saxum*
auertet manesque tuos placare iubebit?

Relatiuae sententiae causales: De coniunctiuo, qui uocatur, causali Hale acute egit l. l. pp. 108 sqq.; uim eius coniunctiui primigeniam esse consecutiuam docet et originem huius usus repetendam e locis, quibus sententia relatiua indicetur, quid ex actione primariae consequatur. sed rel. sent.

eadem sit documento uerum esse, quod sententia primaria enuntietur; ita primigeniam uim esse et consecutiuam et causalem.

Velut Plaut. Rud. 1113

quid, istae mutae súnt, quae pro se fábulari nón queant?

Exempla huic origini contigua apud Lucanum inueni duo, sed utroque loco indicatiuus positus est. Imprimis afferre liceat

V 654

tantusne euertere, dixit,
me superis labor est, parua quem puppe sedentem
tam magno petiere mari?

V 351

sunt ista profecto
curae castra deis, qui me committere tantis
non nisi mutato uoluerunt milite bellis.

Cetera Lucanea exempla eo de genere sunt, cui Hale nomen indidit »der versteckt kausal adversative Satz». Indicatiuum semper habet Lucanus; uelut VII 295 sq. *sed mea fata moror, qui uos in tela furentis | uocibus his teneo:* VIII 647 sqq. *haud ego culpa | libera bellorum, quae . . . . . recepi;* VI 724 sq. *a miser, extremum cui mortis munus inique | eripitur:* VII 442 sq. *felices Arabes . . . eoaque tellus, | quam sub perpetuis tenuerunt fata tyrannis;* VII 444 sq. *ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est, quos seruire pudet:* IX 126 sq. *o felix, quem sors alias dispersit in oras | quique nefas audis;* IX 208 sq. *o felix, cui summa dies fuit obuia uicto | et cui quaerendos Pharium scelus obtulit enses!* Aliter comparatos esse apparet locos, quales sunt IV 319 sq.; IV 382; IV 393 sq. Hic enim prorsus deest uis causalis.

Inter exempla causalis usus item afferre licet VII 470 sqq. *di . . . sensum post fata tuae dent, Crastine, morti, | cuius torta manu commisit lancea bellum . . . tinxit.*

Relatiuae sententiae concessiuae s. aduersatiuae (cfr Hale pp. 113—4; Samuelsson p. 67). E causalibus sententiis hunc usum ortum esse — id quod iam primo aspectu tibi facile persuaseris — docet Hale.

Indicatiuum usurpat Lucanus; uelut I 109 sqq.; VI 326 sq.; VIII 341 sqq.; 433 sqq.; 528 sq.; 532; IX 1043 sqq.; IX 1047 sq.; X 449 sqq. alias.

VI 326

uictor tibi, Roma, quietem
eripiam, qui ne premerent te proelia fugi?!

IX 1047

huncine tu, Caesar, scelerato Marte petisti,
qui tibi flendus erat?

Uno fortasse loco coniunctiuum agnoscere licet, X 456 sqq.; quem locum sic edit Hosius,

X 456

hic, cui Romani spatium non sufficit orbis
paruaque regna putet (M U) *Tyriis cum Gadibus Indos.*
. . . .
quaerit tuta domus

Sed cum codicibus plerisque Weise-Haskins, Francken alii edunt *putat.*

Aliter quodammodo comparatus esse uidetur locus unus, qui tamen aduersatiuam uim habet,

VIII 389

credis, Magne, uiros, quos in discrimina belli
cum ferro misisse parum est?

Restant pauci loci, qui utrum relatiuas sententias ostendant an interrogationes obliquas, haud facile discernas:

III 416

tantum terroribus addit,
quos timeant, non nosse deos.

Ita Hosius interpungit, quasi sit sententia relatiua. Sed Haskins sic reddit: »not to know what gods they have to dread». Francken idem sentire uidetur, si quidem pro interpretatione interpunctionem habere licet. Equidem non possum his non consentire; mitto, quod ita perbonus euadit sensus, sed haud scio an cum Lucaneo uerbi, quod est *noscere*, sensu solito melius conueniat uertere hoc uerbum *nosse* = »ha reda på» quam »känna»; cfr VI 592 sq. ubi interrogationem constituo obliquam sic interpungens: *te precor, ut certum liceat mihi noscere, finem quem belli fortuna paret.* Haskins h. l. bene: »*certum* to be taken with *noscere* 'to learn for certain'.» VI

615 sq. *sed si praenoscere casus | contentus, ...* IX 846 sq. *nec quae mensura uiarum | quisue modus, norant caelo duce ...* Idem *noscere* significare uidetur loco incertiore, VII 462 sq., plurimorum lectiones si respicimus. VIII 774 sq. editores uulgo edunt: *inueniat trunci cineres et norit harenas, | ad quas, Magne, tuum referat caput.* Relatiuam sententiam esse arbitrantur nimirum; sed nihil impedire uidetur, quominus *norit* sensu uulgato praeditum hic regere interrogationem obliquam credamus. — IX 191 *nosse modum iuris.*

Contra codicum auctoritatem mutat Francken IX 644 *Amphitryoniades uidit, quum uinceret, hydram* in *A. uidit, quam uinceret. Hydram.* Sed equidem codicum lectionem seruandam puto.

B. Interrogationes obliquae.

Nusquam, quod sciam, pro certo affirmare possumus in interrogatione obliqua Lucanum adhibuisse indicatiuum; sed de tribus uel quattuor locis ambigi potest: I 126 sq. sic interpungunt Weise-Haskins et Hosius:

I 126

quis iustius induit arma,*
scire nefas

Francken uero post *arma* interrogationis signum ponit. Sed haud scio an talis — non rhetorica — interrogatio recta, quam continuo sequitur responsum interrogantis, a Lucani scribendi colore prorsus abhorreat. — Namque alio de genere sunt interrogationes eae rectae, quae V 86 sqq. inueniuntur. —

IX 563 *quaerere, quid est uirtus, et posce exemplar honesti.* Haec breuis interrogatio inter duos imperatiuos posita obliqua haud dubie esse uidetur. Tertio loco sic uulgo edunt:

IX 558

inquire in fata nefandi
Caesaris et patriae uenturos excute mores:
iure suo populis uti legumque licebit,
an bellum ciuile perit?

* Pro *uter* pronomine Lucanum de duobus semper fere habere *quis* moneri potest; cfr praeter I 126—III 258 sq.: III 589: V 602: VI 810 sq.; VII 259 sq.: 282: IX 19 sq. *Uter* semel tantum inueni, II 59 sq. *tantone nouorum | prouentu scelerunt, uter imperet orbi?* —

Haskins uero h. l. interrogationis signum omisit. Ac mihiquidem interrogationi rectae nec Catonis nec Labieni eum adhortantis hic locus esse uidetur. — Atque quod post *mores* dissolute ponitur obiectum alterum, quod enuntiato continetur, in ea re prorsus non offendet, qui eiusmodi epexegeseos genus Lucano esse in deliciis cognouerit; cfr VI 632 sq. *fata peremptorum pendent iam multa uirorum, | quem superis reuocasse uelit:* VIII 167 *rectoremque ratis de cunctis consulit astris, | unde notet terras, quae sit mensura secandi | aequoris in caelo, Syriam quo sidere seruet, | aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis:* VIII 276 sqq. *uos pendite regna | uiribus atque fide Libyam Parthosque Pharonque, | quemnam Romanis deceat succurrere rebus:* IX 508 sq. *quanto poena tu dignior ista es, | qui populo sitiente bibas!* — VIII 644 sq. Hosius codices MU secutus edit: *nescis, crudelis, ubi ipsa | uiscera sunt Magni:* alii uero editores cum ceteris codicibus praebent *sint*. Non ausim hanc litem diiudicare, nec tamen indicatiuum prorsus improbare posse nobis uidemur.

De modorum in interrogationibus obliquis usu uide Schmalz[3] pp. 358 sq. Equidem crediderim sane ne Lucano quidem indicatiui talem usum ignotum esse.

De consecutione temporum pauca afferre liceat. — Saepissime post praesens historicum primariae Lucanus praesens et perf. coni. usurpat in interrogatione obliqua; uelut I 490 sqq.; II 16 sq.; IV 200 sqq.; V 602; 645 sq.; VI 426 sqq.; 632 sq.; VII 190 sq.; 560 sqq.; 579 sqq.; 751; VIII 167 sqq. Sequitur forma uerbalis praeteriti temporis IV 467 sq.; VI 167 sqq.; VII 132 sq.; X 542 sq. — Post tempora »historica» sententiae primariae bis sequitur praes. coni., II 169 sqq.; IV 393 sq.

II 169

meque ipsum memini . . . .

. . . .

perque omnis truncos cum qua ceruice recisum
conueniat quaesisse caput.

Conueniret (– ⌣ – ⌣) formae in metro locus non est.

IV 393

felix, qui potuit mundi nutante ruina,
quo iaceat, iam scire, loco.

Absolute Lucanus semel posuit tempora sententiae secundariae, VII 617 sqq. *pudet . . . singula fata sequentem quaerere, . . . per cuius uiscera . . . | exierit, quis . . . calcet, | . . . quis . . . | expulerit . . ., quis corruat ictus, | quis steterit . . . qui . . . transmittant c. q. s.* —

Semel uerbum interrogationis obliquae omittitur, IX 846 sq. *nec quae mensura uiarum | quisue modus, norant caelo duce . . .* —

De particulis interrogationes obliquas inducentibus haec fere monere licet.

*Ut** particulam nusquam licet statuere certo nisi fortasse II 681 sq. *curis animum . . . angit, | ut reseret pelagus spargatque per aequora bellum.* Quamquam de finali quoque particula cogitare possumus.

Num in interrogatione obliqua omnino non adhibuit Lucanus.

Ne particula in obliqua interrogatione unius membri apud Lucanum nusquam inuenitur; sed in interrogatione disiuncta *ne — ne* bis annotaui. Certus locus est X 542 sq. *pendet, dubiusne timeret | optaretne mori.* Incertus est VII 172 *iam dubium, monstrisne deum nimione pauori | crediderint.* Lectionem codicum *nimioue* correxit Bersmann; quam emendationem ad unum omnes receperunt editores. —

Eas interrogationes, quas grammatici germani »Bestätigungsfragen« uocant, in Lucaneo opere ubique inducit *an* particula; uelut III 112 sqq.; VI 168 sq.; VIII 523; 626 sq.; IX 566 sqq. (plura exempla); X 66 sq.

In interrogatione disiunctiua *ne — ne* bis inueniri iam supra ostendimus. Sed uulgo aut *ne* excipitur particula, quae est *an* aut *ne* omisso in posteriore membro *an* solum ponitur.

ne — an: VII 809 sq. *tabesne cadauera soluat | an rogus, haud refert:* IX 46 sq.; 141 sqq. — *an:* I 412 sqq.; II 344 sq.; V 569 sq.; VI 652 sq.; VII 84 sq.; IX 401 sq.; X 3 sqq. *Utrum — an* nusquam inuenitur; cfr quae de usu *uter* pronominis attulimus.

---

* *Ut* in exclamatione semel inuenitur, III 76 sqq. *ut uincula Rheno Oceanoque daret, celsos ut Gallia currus | . . . sequeretur . . . !* —

Si semel ita positum est, ut in usum particulae interrogatiuae uersum esse dici posse uideatur,
IV 531

temptauere prius suspenso uincere bello
foederibus, fieret captis si dulcior ipsa
mortis uita mora.

C. Sentiae temporales.

De iis sententiis, quae particulis *quum, postquam, ubi, ut, simul* (*simulac* Lucanus non habet) inducuntur, egit G. Göransson (De usu particularum temporalium *cum, postquam, ubi, ut, simul, simulac* apud Vergilium, Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum; Holmiae 1897). Qui quum locos diligenter collectos prudenter admodum tractauerit, pauca tantum sunt, quae de his rebus afferam.
III 423

medio quum Phoebus in axe est
aut caelum nox atra tenet, pauet ipse sacerdos
accessus dominumque timet deprendere luci.

Hunc locum non p. 16, sed p. 18 allatum oportuit, nam praesens primariae, etsi de re iterata adhibeatur, non »logicum» esse apparet, sed »historicum», quale rei describendae causa usurpari ostendimus pp. 12 sq.
IV 598

hoc quoque tam uastas cumulauit munere uires
terra sui fetus, quod, quum tetigere parentem,
iam defecta uigent renouato robore membra.

Hic quoquē praesens *uigent* non logicum est (quod G. p. 47 scripsit), sed historicum.

P. 76 sub »quum inuersum» afferre possumus, nisi fallor, IV 27

patriaeque et ruptis legibus unum
donauere diem; prono quum Caesar Olgmpo
in noctem subita circumdedit agmina fossa

Qui locus simillimus quod ad sensum est alteri, quem G. p. 72 attulit, VII 521 (= 508 sqq., Hos.) sqq. — P. 82 ima perperam constituit G. coniunctiuum obliquum, illo loco

VII 758
quum sibi Tarpeias uictor desponderit arces,
quum spe Romanae promiserit omnia praedae,
decipitur, quod castra rapit.

Coniunctiuus ille causalis tantum est. — Sed nec causalem coniunctiuum neque omnino coniunctiuum exstare credo VII 613 sqq. *te saeuo Marte subactum* | *Pompeioque graues poenas nobisque daturum,* | *quum moriar, sperare licet.* *Quum moriar* futurum significare credo: »da jag nu skall till att dö», »i det förestående dödsögonblicket». Atque Postgate (cum Z_1 g) uestigiis Weisei et Haskinsi insistens legit *morior*.

P. 108 ima sub *postquam* G. iniuria VIII 504 *postquam nulla manet rerum fiducia, quaerit* | *cum qua gente cadat*, contendit in utraque sententia historicum praesens exstare; logicum praes. est. G. nimirum hoc enuntiatum partem esse orationis Pothini non considerauit.

P. 151 sub simul II addenda sunt exempla duo, VI 611 sqq., quod eodem plane de genere est, quo exempla a G. allata; item IX 284 sqq., ubi actionem iteratam esse in comparatione esse apparet et *posuere* primariae esse perf., quale de re, quae fieri solet, usurpatur nonnumquam.

Dum:

1. *Dum* = »under det att», »medan», »i det att» (»emedan»):

Lucanus semper fere praes. ind. habet. Duo tantum loci regulam hanc migrasse uidentur, II 59 sq. *utrasque simul partesque ducesque,* | *dum nondum meruere, feri.* Sed apparet perf. h. l. idem significare quod praesens = »dum adhuc innoxii sunt». Item IV 286 sqq. *dum dolor est . . . et . . . praebet cuor ossaque nondum* | *adduxere cutem . . .* —

Praesens historicum sententia temporalis habet:

Praes. hist. in primaria: I 605 sqq.; II 159; III 585 sqq.; 600 sq.; IV 249 (*odēre*): V 7 sqq.; 186 sqq.; 246 sqq.; 499 sqq.; 735 sqq.; VII 733 sq. (sent. temporalis ind. habet in oratione obliqua latenti) *protinus hostili statuit succedere uallo,* | *dum fortuna calet, dum conficit omnia terror . . .*: X 535 sqq.

Perf. in primaria: I 327 sqq. (perf. »gnomicum» habet primaria); II 111 sqq.; 141 sq.; 693 sq.; 695 sq.; III 4 sqq.; 635 sq.; 647 sqq.; 703 sq.; IV 29 sq.; 202 sqq.' V 219 sq.: VI

88 sq.; 101 sq.; 627 sqq.; VII 415 sqq.; VIII 681 sqq.; IX 1095 sqq.; X 77 sqq.

Inf. perfecti in primaria: II 116 sqq.

Impf. habet primaria: IV 40 sqq.? Sed hic locus incertus: *-bat* V G m praebent; *-bit* M Z; *-uit* ceteri.

Plqpf. in primaria: IV 689 sqq.

Perf. coni. in primaria: VII 623.

Praesens logicum sententia temporalis habet: I 207; 280 sq.; 363 sqq.; II 40 sq.; 418 sqq.; 646 sqq.; IV 285 sqq.; 703 sq.; V 256 sqq.; VI 164 sq.; VII 41 sq.; VIII 502 sq.

Futurum sent. temp. habet: IV 215 sqq. *dum ferrum incertaque fata | quique fluat multo non derit uolnere sanguis, ibitis ad dominum damnataque signa feretis?* — Cfr I 363 sqq.

2. *Dum* = »så länge som»: Indicatiuum sent. temporalis habet.

Praesens logicum in sent. temporali: VII 320 sqq.

Praes. historicum in sent. temp.: VI 344 sqq. (praesentia excipiuntur imperfecto).

Fut. in sent. temp.: I 89 sqq.; IX 88 sqq.

Perf. historicum in sent. temporali: I 273 sqq.; III 482 sqq.; IV 351.

Impf. in sent. temporali: II 338; VI 346 sq. (cfr supra). — Saepe exempla, quae sub 1) et 2) cadunt, confinio tam arto dirimuntur, uix ut operae pretium sit discernere conanti, utrum exempla singula huc an illuc numeranda sint.

Coniunctiuum hoc sensu usurpatum uno loco constituit Haskins, III 677 sqq.;

III 677

uiscera laeua
oppressere manu, ualidos dum praebeat ictus
sanguis et hostilem quum torserit exeat hastam.

Haskins: »*dum praebeat*] 'so long as their life-blood gives them strength to deal sturdy blows'». *Et . . . exeat* significare puto idem quod *exiturus* = »för att förrinna efter kastandet af den fientliga lansen».

3. *Dum* = »till dess att»:

Ind. perf. semel: IV 281 sq. *passus languescere . . ., | substituit merso dum nox sua lumina Phoebo.*

Coniunctiuum semper alias, quantum uidi, Lucanus usurpauit.

Coni. praes. in sent. temporali: IV 427 sq. (post praes. hist. primariae); 434 sq. (post perf. hist. primariae); 437 sqq.; V 303 sq. (in primaria praes. hist.); 409 sqq. (post perf. hist. primariae); 774 sq.; IX 593 (in primaria praes. hist.); X 528 sq.

Coni. impf. in sent. temporali: I 506 sq.; II 476 sq.; IV 742 sq.; VI 829 sq.; IX 1036.

Donec: Hanc particulam Lucanus eodem sensu quo *quamdiu* non uidetur usurpasse.

Donec = »till dess att»: Indicatiuus perfecti: III 589 sqq.; IV 713 sq.

Coniunctiuus praesentis: De rebus iteratis VI 505 sq.; X 235 sqq.

Coni. impf.: II 435 sq.; IV 154. —

Quoad, quam particulam Valerium Flaccum non usurpasse ostendit Samuelsson, item Lucanus nullo loco adhibuit.

Antequam et *priusquam:*

Antequam: Indicatiuus praesentis: IV 803 (in apostropha). II 432 sqq. *non deserit ante | Hesperiam, quam quam Scyllais clauditur undis | extenditque . . .* —

Coniunctiuus praesentis: II 301 sqq.; VIII 712 sq. (post perf. hist. primariae) Coni. perf.: X 217 sq.; ubi coni. nec finalis neque omnino obliquus esse uidetur. Coni. impf.: II 577 sq., ubi nec finalem neque ullam obliquam uim agnoscere licet.

Priusquam semel tantum et quidem cum imperfecti coniunctiuo, IX 1006. Ne hoc quidem loco aut finalis aut obliquus coni. esse uidetur.

Quotiens: Semper indicatiuus inuenitur. Praes. logicum I 256 sq.; III 549 sq. (comparatio inest); IX 404. — Praes. hist. III 469 sqq.; VI 560 sq. — Plusqpf.: III 696 sqq.

D. Sententiae causales.

Quam particulam Göransson tractauit opusculi sui pp. 84 sq.

Quod causale. Indicatiuus:

Praesens logicum in sententia causali: II 418 sqq. (*non . . . nisi quod . . .*); IV 229 sqq. (*uilior hōc . . , quod . . .*): IX 258 sqq.; 1031 sq.; X 325 sq.

Perf. historicum: II 45 sq. (*nati . . fuimus*); 231 sq.; 573 sq.; III 111 sq.; VI 406 sq.; VII 314 sq.; VIII 78 sqq.; 155 sqq.; 518 sq.; 578 sq. (*hoc magis . . . quod*); IX 1026 sq.

Plqpf. et praes. hist. coniuncta inueniuntur IV 694 sqq. —

Coniunctiuus: I 338 sqq. *ultima Pompeio dabitur prouincia Caesar, | quod non uictrices aquilas deponere iussus paruerim?*; II 659 sq. *Italiam, extremo sedeat quod littore Magnus, | communem tamen esse dolet:* VI 652 sq. *dubium est, quod traxerit illuc | aspiciat Stygias an quod descenderit umbras:* VIII 600

quis non, Fortuna, putasset
parcere te populis, quod bello haec dextra uacaret
Thessalique procul tam noxia tela fugasses?

Post uerba affectuum: I 361 sq. (*conquerimur*); II 439 sqq. (coniunctiuo excipitur inf.; *gaudet*); II 519 sqq. *poenarum extremum ciui, quod castra secutus | sit patriae . . . . | ignosci:* II 550 sqq. *his te quoque iungere, Caesar, | inuideo nostrasque manus quod Roma furenti | opposuit:* III 49 sq. *queritur, quod tuta per aequor | terga ferant hostes:* III 744 sq. *ueniam . . concede . .,: . . quod . . fugi;* IV 355 *hoc hostibus unum, quod uincas, ignosce tuis;* IV 425 sq. *taciti praebet miracula cursus, quod nec uela ferat nec apertas uerberet undas:* IV 716 sq. *laetus, quod gloria belli | sit rebus seruata suis, rapit . . .;* V 512 *transsiluit questus, tacite quod fallere posset:* VI 303 sqq. *dolet heu semperque dolebit, | quod . . . prodest . . .;* VI 358 sq. *supremo tradidit igni | questa, quod hoc solum nato rapuisset:* VIII 536 sqq. *laetatur honore | rex puer insueto, quod iam sibi tanta iubere | permittant famuli:* VIII 748 sq. *quod . . . uiolat . . . | da ueniam.*

In primaria aut demonstratiuum inuenitur, quod explicatur sententia per *quod* inducta, aut aliter explicandi causa ponitur *quod.* Exx.: I 44 sq.; II 537 (*di melius*); item III 93 sq.; 96 sq.; IV 503 sq.; 596 sq.; V 111 sqq.; VII 760; 784 sqq.; VIII 420 sqq.; IX 1059 sqq. — Epexegesis per parataxin ad-

nectitur IX 191 sqq. — In primaria demonstratiuum inest: III 388 sqq.; IV 398 sq.; 598 sqq.; V 696 sq.; VII 180 sqq.; VIII 77 sq. (*ipsum quod* . . .); 865 sq. —

Subiecti instar posita est sententia, quae *quod* particula instituitur:

II 568 sqq. (subst. et *quod* coniunguntur); III 392 sqq.; V 552 sqq. (*nec placet incertus* . . . . *delphin,* | *aut* . . . *quod* . . . . *quodque* . . . . . *quodque*); 636 sq.; VII 428 sqq. (*effectum. ut* . . . *quod* . . . *quod* . . .); VIII 118; 739 sqq.; IX 186 sqq. (*non* . . . *peruenit gratius* . . . *quod* . . . . *quam* . . . *uerba*). Incertus locus II 541 sq. —

Obiecti uicibus fungitur sent., quae *quod* particula inducitur:

III 321 sq. (*adde, quod* . . .); item V 291 sq.; item V 776 sq.; item X 223 sq.; VI 25; VII 739 sq.; IX 853 sq. *iuuat aetheriis ascribere causis,* | *quod peream* . . . —

Nisi quod = »sed». »hoc solum constat» (cfr illud priscae latinitatis *nisi quia:* uelut Plaut. Pseud. 106 sq.; 567 sq.; Rud. 1025 *néscio: neque ego ístas nostras léges urbanás scio:* | *nísi quia hunc meum ésse dico* . . — Cfr Schmalz[3] p. 379). Semel, IX 619 sqq. *cur* . . , *exundet* . . . . | . . . . *aut quid secreta nocenti* | *miscuerit natura solo, non cura laborque noster scire ualet, nisi quod uolgata per orbem* | *fabula pro uera decepit secula causa.*

Quod (sententiae primariae antecedens) = »hvad det beträffar, att . . .» I 24 sqq. —

Quia causam ueram exprimens IX 470 sq. *imaque tellus stat, quia summa fugit.*

Non quia fictam inducens causam semel; coni., ut par est, adhibetur, III 732 sqq. *non quia te superi patrio priuare sepulcro* | *maluerint, Phariae busto damnantur harenae:* | *parcitur Hesperiae* (ueram causam exprimit sent. prim.).

Quoniam semel, VIII 395 sq. *sed tua sors leuior, quoniam mors ultima poena est* . . .

Quando: Signum originis temporalis apud Lucanum nusquam agnoscere licet. Tria tantum exstant exempla: IV 811 sqq.; V 297 sq.; VIII 211 sqq. (*est* copula omittitur). —

E. Sentententiae condicionales.

Indicatiuus: Ind. praesentis in condicionali sententia: Ind. praes. in primaria quoque inuenitur: I 191 sq. *si iure uenitis,* | . . *huc usque licet:* I 359 sqq. (apodosis non uera sequitur); 457 sq. (*si* = si quidem); 644 sq.; II 276 sq.; 281 sqq.: III 151 *damna mouent populos, si quos sua iura tuentur:* 312 sqq. *si . . paratis* | *proelia . ., lacrimas ciuilibus armis* | *secretumque damus:* III 328 sq. *finis adest rerum. si non committitis illis* | *arma, quibus fas est.;* III 342 sqq.; 362 sq.; 693 sq.; IV 288 sqq. (in condicionali sententia praes. excipitur perfecto); 310 sqq. (in primaria praes. hist. et perf.); V 274 *quid satis est, si Roma parum est?;* V 348 sq.; VI 518 sqq.; 554 sq.; 556 sq.; VII 379 (uerbum primariae deest); 661 (uera primaria facile auditur); 663 sq.; VIII 340 sq. (h. l. *si* ad uim causalis particulae prope accedit); 439 sqq.; 442 sq.; 489 sq.; 749 sq. [*relictum (est)* = praes.]; 800 sqq. (*si* sententiam re uera causalem inducit); IX 922 sq.; 931 sqq.; X 85 sq. (uerbum primariae deest); 262 sqq. (apodosis non uera sequitur). Saepe uera apodosis deest, cuius loco sententia posita est primaria, unde audire licet apodosin, uel omnino sententiarum nexus laxior est. Sunt uero gradus permulti, uix ut omnia exempla distinguere possimus; exempla cum alia tum haec sunt: II 550 sq. (*si qua fides,* . .); item IX 83 (locus fortasse spurius); VII 376 sq. (sent. condicionali pro parenthesi est); VIII 458 sq. (item: *si numina nasci* | *credimus aut quemquam fas est coepisse deorum.*); IX 102 sq. *te . . . per Tartara . .,* | *si sunt ulla, sequar;* IX 983 (*si . . fas est*); X 63 (*si fas*).

Futurum in primaria: V 158 sqq. (*dabis . . . poenas nisi mergeris . .*); V 493 sq. (*si bene nota mihi est, . . . uolet . .* — Vera * apodosis deest); V 533 sqq. (*si . . me uehis . ., non . . . debebis . .*); V 571 sq. (de uerbo primariae cfr p. 39); 778 sq.; VI 315 sq.; VII 87 sq.

Coni. uoluntatis in primaria: II 56 sqq.; VI 242 sqq.; 716 sqq.: VII 79 sq.; IX 249 sqq.; 386 sqq. (*si quibus* = quibuscumque» . .).

Coni. rei sumptae in primaria: I 63 sqq.; V 557 sq.

* Talis fere esset sent. condicionalis, quae in hanc primariam quadraret: «si aget ita, ut eam cognoui agere solere, ...»

Imperatiuus in primaria: I 21 sqq. (in sent. condicionali uerbum *est* audio); II 514; III 310 sq.; V 17 sqq.; 321; 579 sq.; VI 706 sqq. (praes. et perf. in sent. condic.); VII 806 sq.; 822; VIII 122 sq. (de quo loco u. infra); 218 sqq.; 499 sq.; 761 sqq. (in sent. condic. *est* audio); 838 sqq.; IX 212 sq.

Infinitiuus in primaria: III 765 sq. (*esse* audio in primaria).

Perf. in primaria: V 748 sq.; VII 290 sqq. (perf. *uicistis* idem quod praesens ualet); IX 593 sqq.; 1076 sqq.

Impf. in primaria: VIII 160 sq. *nec quibus abscondit, nec si quibus exserit orbem,* | *totus erat* . . —

Perf. ind. in sent. condicionali:

Praes. ind. in primaria: I 33 sqq. (in sent. condicionali perf. — praes. — perf.); II 555 sq.; IV 308 sqq. (in prim. praes. hist.); 316 sqq. (*si quos* = relat. pron., in primaria praes. hist.); item 778 sq.; V 116 sqq.; VI 274 sqq.; VII 185 sqq. *quid mirum populos, quos lux extrema manebat,* | *lymphato trepidasse metu, praesaga malorum* | *si data mens homini est?*; VIII 29 sqq. (*nisi:* prim. praes. hist. habet); IX 78 sqq. (*si qua* = rel. pron.); 327 sqq. (*si quis* = rel. pron.; praes. hist. in primaria); 906 sqq. (*si quis* = rel. pron.).

Perf. ind. in primaria: V 287 sq. Primaria futurum praeteriti habet; *si* ad uim causalis uel concessiuae particulae accedit: VIII 96 sq. *cur impia nupsi,* | *si miserum factura fui?*

Futuri ind. primaria habet: V 656 sqq. (perf. et praes. in sent. condicionali).

Coni. uoluntatis in primaria: I 340 sqq. (*si* = etsi); VII 117 sqq. *prima uelim caput hoc funesti lancea belli,* | *si sine momento rerum partisque ruina* | *casurum est, feriat:* VIII 222 sqq. (si causalem uim habet; sequitur anacoluthon, sed resumitur protasis u. 235, cui additur apodosis *excedat*); 428 sq.

Imperatiuus in primaria: VII 261 sq.; VIII sqq.; 837 sqq. (*si* = etsi). Haec tria exempla iis addenda sunt, quae l. l. p. 83 ima attulit Samuelsson.

Imperf. ind. in sent. condicionali: VI 430 (*si quid* = quidquid); VII 645 sq. (*si* = causalem uim habet: *post proelia natis* | *si dominum, fortuna, dabas, et bella dedisses.* Recte monet Postgate esse *dabas* = »datura eras»; *dedisses* = »dare debebas»); VIII 586 sqq. *poteras* . . ., . . . *si* . . . *parabas.* -

Futuri ind. in sent. condicionali:

Fut. et primaria habet: IX 96 sq.; II 32 sq. — Unum locum notare haud alienum erit, II 320 sqq. *nec si fortuna fauebit, | hunc quoque totius sibi ius promittere mundi | non bene compertum est* . . — Ubi *hunc promittere sibi* idem ualere apparet atque »hunc credere se adepturum esse«. Etsi duplex oratio obliqua est, tamen — metri, credo, causa — condicionalis sent. indicatiuum habet.

Perf. ind. in primaria: IV 255 sqq. —

Coni. uoluntatis in primaria: VIII 110 sqq. (*si* in obsecratione; maior pars codicum pro coniunctiuo *dignere* — V Z G — praebent imperatiuum *dignare*); 311 sqq.; 772 sqq. —

Futurum exactum in sent. condicionali:

Fut. simplex primaria habet: I 56 sq.; IX 603 sq. (*si steteris* . . ., . . . *factura* . . *es*); X 361 sq.; 365 sq.

Futurum exactum primaria quoque habet: I 284 sq. *facili si proelia pauca | gesseris euentu, tibi Roma subegerit orbem.*

Praes. ind. in primaria: II 515 *et nihil hac uenia, si uiceris ipse, paciscor.* Ubi uera apodosis omissa a *paciscor* uerbo pendet.

Praes. coni. in primaria: IX 401 sq. (condicionali sententia resumuntur sententiae generatim relatiuae). —

Futurum praeteriti in sent. condicionali (VI 710 sq. . . . *si quisquis uestris caput extaque lancibus infans | imposuit, uicturus erat, parcite precanti.* Atque hoc quidem exemplum supra sub imperfecto afferendum fuisse iure suo censuerit quispiam. —

2. **Coniunctiuus** in sent. condicionali est:

Coni. potentialis, qui uocatur, exstat:

Praes. coni. in sent. condicionali:

Vicibus primariae fungitur adi. (*capacem*), I 511 sq.

Coni. praes. in primaria: II 665 sqq.; III 139 sq. (coni. primariae *ut* particula consecutiua inducitur); 258 sq. (interr. obl.); 334 sq. (coni. primariae *ut* finali inducitur); V 758 (coni. uoluntatis in primaria); VIII 843 sqq. (in primaria *sim* audio).

Coni. perf. in primaria: III 146 sq. *cuius seruaueris umbram, | si . . . uelis* (2 pers. = »man«).

Fut. in primaria: I 102 sq. (si uera est lectio codicum M G T U: *franget*); 376 sqq.; 496 sqq. (*si* = etiamsi); V 26 sq.;

VIII 767 sqq.; IX 412 sq. (2 pers. — »man»). Apparet usum futuri multo frequentiorem esse in primariis quam coniunctiui »potentialis».

Praes. ind. in primaria: I 444 (praes. hist.); III 367 sq.; IV 408 sqq. (praes hist.; *si sola* = si modo); VI 76 sq. (codices discrepant); 662 sqq. (in primaria *est* audio); VII 567 sqq.; IX 411 sq. (*est* in primaria audio).

Perf. (gnomicum) in primaria: II 456 sqq.

Infinitiuus praesentis in primaria: III 347 sqq.; VII 106 *promptus metuenda pati, si comminus instent. . .*; VIII 322 sqq. *quid enim tibi laetius umquam | praestiterint superi, quam, si ciuilia Partho | milite bella geras, tantam consumere gentem . . .?* (Vera primaria omissa sententiae condicionali cum infinitiuo laxus admodum nexus est).

Sententiae condicionali primaria deest VII 144 sq. *si liceat superis hominum conferre labores,* | *non aliter . . .* —

Perf. coni. in sent. condicionali:

Praes. coni. in primaria: V 756 sq. *si . . impulerint . ., maneat:* VIII 803 sqq. In utroque exemplo coniunctiuum uoluntatis primaria habet:

Coniunctiuus irrealis in sent. condicionali est:

Coni. imperfecti in sent. condicionali:

Primariae uerbum deest: I 307 sqq. *quid* si mihi signa iacerent | Marte sub aduerso, ruerentque in terga feroces | Gallorum populi?*; II 416 sq.; IV 807 sqq.; VII 29.

Impf. coni. in primaria: I 655 sqq. (impf. et plqpf. in primaria); III 253 sqq.; IV 223 sqq.; VII 358 sqq.; 378 sq.; IX 466 sqq.; X 447 sq. —

Plqpf. coni. in primaria: I 651 sqq.; IX 1068 sqq. (in primaria: *potuissem . . . misissem*). —

Impf. ind. in primaria: II 616 sqq. *nec tamen hoc . . . aequor | portus erat, si non . . . insula . . | exciperet . . . refunderet* (de quo loco uide supra sub indicatiui temporum usu); VI 605 sqq. *si fata minora moueres,* | *pronum erat . . ., quos uelles . . in actus | inuitos praebere deos:* VIII 153 sqq. *uix, si . . .*

* Blase p. 135 recte monet *quid si . . .* pro sententiis uoluntatiuis adhiberi saepe. Sed in exemplis afferendis non satis considerauit esse simplicem periodum hypotheticam et in rerum inter se nexu quaerendum, utrum uoluntatiua uis subsit necne. Delenda igitur Ter. Hec. 442; Petron. 125.

peteret, ... poterant (impf. coni. de re praeteriti temporis); VIII 568 sqq. *quod nisi fatorum leges . . | . . . traherent ad littora Magnum, | non ulli comitum sceleris praesāgia derant* (impf. in sent. condicionali notandum sane). Notandus locus unus, IX 685 sq. *ille quidem pensabat iter propiusque secabat | aera, si medias Europae scinderet urbes: . .* — Impf. ind. primariae esse credo eo de genere, quod »de conatu» uel »molientis» uocare licet. De qua re uide supra pp. 24 sq. In sententia condicionali nescio an metri causa pro plusquamperfecto positum sit imperfectum.

Perf. ind. in primaria: VI 322 sqq. *Hesperiam potui . . . tenere, | si uellem . . . committere . . | ac . . pugnare . .* (impf. coni. generatim de natura Pompei enuntiatur); VII 352 sq. *si socero dare regna meo mundumque pararent | praecipitare meam fatis potuere senectam.*

Coni. plusquamperfecti in sent. condicionali:

Coni. plqpf. in primaria: V 625 sq. *creuisset . . . ni . . pressisset . . .*; VI 633 sqq. *si . . . temptasset . . . cessissent . . . pugnasset . .*; VII 860 sqq. (plqpf. et impf. in primaria copulantur); IX 681 sqq.

Verbum primariae deest VI 257 sq.

Coni. impf. in primaria: III 315 sqq.; VI 301 sqq.; VII 334 sqq. (impf. primariae post praesentia historica). III 73 sqq. *pro, si remeasset . . . . . (. . potuit . . . .!) . . . ut . . . daret . . . ut . . . . sequeretur . .!* —

Ind. perf. in primaria: III 73 sqq. (*potuit* *); VII 202 sqq. (*potuit*).

Ind. impf. in primaria: I 114 sqq. (*poteras*); IV 344 sq. (*non derat*). —

Semel tantum de iteratiuo coniunctiuo cogitare licet, III 696

pugna fuit unus in illa
eximius Phoceus animam seruare sub undis
scrutarique fretum, si quid mersisset harenis,
et nimis adfixos unci conuellere morsus,
adductum quotiens non senserat anchora funem.

Coni. obliquus esse uidetur: III 109 sqq. *sedere patres censere parati. | si . . . petat* (praes. *petat* notandum); III 430 sq.

* Cfr VI 299 sqq.

si robora sacra ferirent, | in sua credebant redituras membra secures; VII 384 *placuitque mori, si uera timeret:* VII 572 (irreales coniunctiui in oratione obliqua); X 461 sqq. *quem ducit in omnia secum, | sumpturus poenas et grata piacula morti | missurusque tuum, si non sint tela nec ignes, | in famulos, Ptolomaee, caput.* Ut h. l. finalis sensus in futuri ptcpio inest, ita datiuo finali, qui uocatur, exprimitur X 25 sq. *nam sibi libertas umquam si redderet orbem, | ludibrio seruatus erat . . .* — De hoc loco paullo difficiliore uide huius libri partem exegeticam.

Hic locus erit de iis sententiis pauca afferendi, quae particulis *dum, modo* (= *dum-modo*) instituuntur.

Dum Lucanus habet hoc sensu: III 24 sqq.; IV 482 sqq. (sec. pers. = »man»); V 450 sqq. (praes. coni.; perf. habet primaria); 670; VI 284 (praes. coni. sent. condic.; praes. hist. primaria habet); 324 sqq.; VII 268; IX 213 sq.; 354 sqq. Huc fortasse pertinet VIII 422 sqq. Coniunctiuum semper Lucanus usurpauit.

Modo: I 201 sq.; X 94 sq. Coni. utrobique. —

Restat, ut de particularum formis, quae in sententiis condicionalibus apud Lucanum inueniuntur, pauca disputemus.

Ac primum quidem monendum, quo consecutio grauius exprimeretur, saepius in sententia primaria Lucanum posuisse demonstratiua aduerbia, quae sunt *tum* et *tunc;* uelut III 347; 368; IV 289; VI 275; 519; IX 923; 933. —

Si modo VII 103 sq. *si modo uirtutis stimulis iraeque calore | signa petunt.* H. l. *si modo* e. q. s. sine primaria posita dubitantis esse uidentur. — *Si quidem:* IV 258. — *Si forte:* VIII 772 sq. — *Si uero:* VI 662. — *At si:* III 312. — *Quod si:* I 33; II 281; V 778; VII 290; VIII 311; IX 1068. — *Quod nisi:* VIII 568. — *Nisi* haud ita saepe sententiam condicionalem inducit; uelut III 254; VIII 29; 568 (*quod nisi*); X 420. — VII 139 sq. *nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper | exarsit mucro.* Hoc exemplum, ubi *nec . . . nisi* idem ualet quod »et tum demum . . . quum», in confinio esse uidetur eius huius particulae usus, quo post negationem sine uerbo sequitur; ex. gr. I 36 *non nisi . . . post bella;* II 439 sq. *nullas nisi sanguine fuso | gaudet habere uias;* V 475 *te nisi*

Niliaca propius non uidit harena: V 665 *nec . . . quisquam nisi tu . .*; VI 320 sq. *numquam . . . nisi dimisso . . milite:* VI 373 *numquam . . nisi mixtus . .*; VIII 31 *quisquamne . . . audet nisi morte parata?*; VIII 822 *nisi monstratum . . transeat . .*; IX 578 sq. *estque dei sedes nisi terra et pontus et aer | et caelum et uirtus?*

Si non (pro *nisi*) saepius usurpatur; uelut II 416; 617; VIII 626; IX 682; 1068 sq.; X 463. Sed h. l. *non* ad uerbum solum ita referendum est, ut sit *si non sint tela* = »si desint tela«. VII 868 *non* ad unum tantum uerbum refertur: *si non prima nefas belli, sed sola tulisses.* — Pro *nisi* particula Lucanus semel habet *ni*, V 626 *ni . . . pressisset.* X 88 Hosius et Francken astipulantur Heinsio, qui *ni* restituit contra *si* codicum. —

Siue — siue: Siue simplex Lucanus nusquam adhibuit: de qua re uide huius libri partem exegeticam ad VII 567 sqq. His uero locis hanc particulam constituit Francken: VI 558 (O C *si:* N *sin:* coniecerunt *sic* Gryphius — approbantibus Weiseo-Haskinso et Hosio —, *sed* Bentley, *seu* Francken); VII 579 (*si* codices); IX 327 (*si* codices); IX 401 (*si* codices; asyndeton summatiuum est; Schrader *seu* coniecit). — VII 675 Sulpitius pro codicum *sed* coniecit *seu*, approbante Postgateo. Sed nullo horum locorum rerum nexu *seu* particula requiri uidetur. — Pro *siue* Lucanus raro habet *aut si: uel si. Aut si:* III 315 sq.: VI 258; 430. *Si* in altero membro omittitur VIII 458 sq. Ad uerbum sententiae primariae referendum est *aut* VII 806. — *Vel si:* II 665 sqq. — *Si — si* (= *siue — siue*) VIII 122 sq. *accipe, si terris, si puppibus ista iuuentus | aptior est . . .* —

Sententiae, quae *siue — siue* particulis instituuntur, saepius ad uim sententiae causalis prope accedere uidentur; ex. gr. I 234 sq.; V 131—140; 344 sq.; VII 18 sqq.; 195 sqq. Atque in sententiarum inter se nexu hanc causalem uim totam positam esse apparet. —

F. Sententiae concessiuae.

Quum particulae usum Göransson tractauit l. l. pp. 85 sqq. —

Quamquam: * Indicatiuum Lucanus nusquam, quantum uidi, post hanc particulam habet.

Coniunctiuus inuenitur: II 350 sqq.; 472 sqq. — In hoc modorum usu Lucanus nimirum scriptoribus posterioris aeui adnumerandus est. — Cum ptcpiis et adiectiuis coniungitur *quamquam.* — I 353 sqq. (adi. et ptcp.); II 448 sqq.; IV 667 sqq.; V 538 sq.

Quamuis: Coniungitur cum ptcpiis et adiectiuis: IV 181 sq.; 254 sq.; 759 sq. (adi.); V 811 sq. (abl. absol.); VI 661 (adi.); 807 sq. (adi.); VIII 8 sq. Ubicumque cum adiectiuis Lucanus *quamuis* coniungit, ibi aduerbii loco adhibet ad uim adiectiui intendendam.

Quamuis particulam coniunctiuus plerumque sequitur; uelut I 144 sqq.; 293 sqq.; II 658 sqq.; III 36 sq.; 359 sq.; 503 sqq.; IV 78 (fortasse spurius); 608 sq.; 634 sq.; V 665 sqq.; VI 55—60; 609 sq.; 651 sq.; VIII 263 sqq.; IX 21 sq.; 517 sqq.; 957 sqq.; X 304 sq. Notandum est primariae praes. hist. semper cum coniunctiuo praesentis uel perfecti coniungi. —

Indicatiuum ter inuenimus: III 181 sq.; 748 sqq.; IV 247 sqq. —

Licet: — nullo usus discrimine bis Lucanus (metri, credo, causa) adhibuit formam *licebit:* de qua re uide supra p. 38. Cfr Ouid. Amor. II XI 53 *sint ficta licebit.* — Semper coniunctiuus et quidem praesentis uel perfecti inuenitur: I 384 sqq.; II 115 sqq.; 512; 559 sq.; IV 321 sqq.; 514 sq.; 821 sqq. (praeteriti temporis actio est); V 293; 659; VI 20 sq.; 449 sqq.; 715 sq.; VII 40 sq.; 855 sqq. (*licebit*); VIII 629 sq. (*licebit*); X 48 sqq.; 149 sqq. —

Ut: V 773 sqq. (praes. coni.); VII 755 sqq. (praes. coni.) —

G. Sententiae comparatiuae.

Ut: In altero comparationis membro uerbum aliquod demonstratiuum respondet: *Sic:* I 327 sqq.; II 601 sqq.; III 362 sqq.; 482 sqq.; 549 sqq.; V 217 sq.; VI 293 sqq. (*sic*

* *Quamquam* interdum primariam inducere constat; uelut II 550 sqq.; VIII 412 sqq.

in priore membro; in altero uerbum *horruit* e primariae *horret* audire licet); VIII 487 sq.; IX 808 sqq.

Aliud aduerbium apud Lucanum ad *ut* respondere non uidi.

Demonstratiuum adu. non exstat: I 115 sqq.; 419; II 714 sqq.; VII 125 sq.; IX 120; X 125 sq.; 215 sqq. Verbum omittitur X 400 *ut mos* . . . Omisso uerbo *ut* nihil nisi exemplum inducit V 107 sq. *saepe dedit sedem totas mutantibus urbes,* | *ut Tyriis* . . . — Omittitur primariae pars, ad quam referatur *ut* II 664 sqq. — *Ut* si uerbum aliquod sentiendi uel declarandi inducat, laxiorem plerumque sententiarum inter se nexum esse apparet; uelut V 108 sq. *ut Salaminiacum meminit mare:* IX 348; 356 *ut fama:* 352 *ut probat ipse calor:* 513 *ut memorant.* —

Ut sine uerbo nonnumquam causalem uim induit; uelut VII 241 sqq.; 730; X 521 sq.

Sicut: I 205 sqq.; II 365; III 716 sq.; VII 654 sq. —

Velut(i): IV 708 (fortasse non nisi ad ptcp. *productos* particula referenda est); V 335 sqq. (sententiarum nexus perspicuus fit, si consideramus interrogationem sententiae primariae antecedentis rhetoricam esse et idem ualere quod enuntiatum ualide negatiuum); VI 64 sqq. — VII 567 sqq. per *ueluti* particulam comparantur Caesar et Mauors Bellonaque.

Velut(i) = »uelutsi» uide infra.

Quam: a) = »som»: In primaria respondet *tam* (quam responsionem Senecae philosopho in deliciis esse monet Schmalz[3] pp. 381); II 442 sqq. (uerbum commune); IV 784 sq. *tam . . . placeret,* | *quam . . . placet:* V 678 sq. (u. c.); VII 685 (u. c.); 708 (u. c.); VIII 637 sq. (praedicati uices sustinet ptcp. duobus membris commune). —

b) = »än»: In primaria respondet *haud aliter* IX 284 sqq. (*sic* aduerbio comparatio infra resumitur). — *Non aliter (secus) quam si* uide infra. —

Non alius — quam: X 501 sq.

Qualiter: Respondet *sic* I 100 sqq. — Nulla exstat particula correlatiua I 151 sqq. —

Eas comparatiuas sententias, quae inducuntur *qualis* uel *quantus* (*-um*) pronominalibus, quibus in primaria respondent *talis, tantus* (*-um*), tractemus necesse non erit.

Qualis — sic: I 498 sqq.

Haec responsio est VI 73 sqq.: *tantum* — *quantum* — *quoque modo.*

Quomodo: Respondet *hōc* II 366 (uerbum en. secundarii e primaria post collocata auditur).

Ceu: V 99 sqq. — *Ceu* — *sic:* VII 691 sqq. — *Ceu* = »quasi uide infra. —

Quo: VII 419 sq. *quo* (cod. Z) *latius orbem* | *possedit, citius . . . cucurrit.*

Nisi quidem praeferamus h. l. cum M_1 legere *quam* (O C m z *quae*, quod respuendum uidetur). De structura illa *quam magis* — *tam magis* uide Schmalz[3] p. 381. — Francken Heinsio astipulatus sic legit VII 284 sq. *dominosque grauantur,* | *quo nouere magis.* Sed perbonum sensum reddit lectio codicum: *quos nouere magis* . . . —

H. Hypotheticae sententiae comparatiuae.

Velut si: *Velut* et *si* particulis suum utrique uerbum est; quare h. l. exemplum uix licet afferre V 336 sqq. *ueluti, si . . . minentur . . ., non . . . descenderit* . . . — Primaria antecedit. —

Velut = »uelut si«: Praesentis coniunctiuus: IV 252 sq. (primaria habet perf. hist.); V 365 sqq. (in prim. praes. hist.); 555 sq.

Impf. coni.: I 495 sqq. (*sic* in primaria antecedit).

Veluti cum ptcpio coniungitur V 443; VI 108 sq. Verbum omnino omittitur VI 253 sq.; VII 212 sq.; VII 866; X 332 sq.

Ut = »ut si«: Cum ptcpio coniungitur IV 722 *ut si commissi simulator . . . belli.* Cum adiectiuo II 190 sq.

Quasi semel tantum adhibuit Lucanus idque cum ablatiuo absoluto, VIII 158 *stantis adhuc fati uixit quasi coniuge uicto.*

Tamquam cum uerbo semel tantum, IV 661 sqq. *Curio laetatus, tamquam fortuna locorum* | *bella regat seruetque ducum sibi fata priorum,* | . . . *ponens . . . indulsit* . . . — *Tamquam* h. l. adhiberi apparet eodem sensu, quo apud Celsum, Quintilianum, Plinium minorem, Tacitum hanc particulam usurpari docet Schmalz[3] p. 384. Nec non *uelut* particulam huius usus participem esse ostendit. Atque equidem non possum quin talem sensum inesse credam uno loco Lucaneo, ubi inuenitur

uelut, V 364 sqq. *tremuit . . . timet, uelut ensibus ipsis | imperet . . .* — Certe hoc exemplum ad originem eius usus illustrandam non prorsus inutile esse uidetur. Conferas uelim Wölfflins Arch. XI III.

Tamquam sine uerbo semel, VII 325. — *(Non)tam — quam si* II 444 sq. huc non pertinet.

Non aliter — quam si: VI 501 sqq. (impf. coni.).

Non secus — quam si: I 303 sqq. (perf. coni.).

Quam si post comparatiuum quemuis paucis locis (ex. gr. IX 215 sqq.) inuenitur, quos afferre non necesse erit.

Ceu: Verbum omissum est: VII 38 sq.; 713 sqq.; VIII 415 sq.; X 458 sq. —

I. Sentententiae consecutiuae et finales.

Ut consecutiuum: *Sic — ut:* III 322 sq.; V 340 sqq.; VIII 267 sq. — *Adeo — ut:* III 138 sqq. — *Tam — ut:* X 129 sqq. — *Talis — ut:* VI 765 sqq. — *Tantus(-m) — ut:* VII 847 sqq.; X 347 sq.; 403 sqq. — *Iste — ut:* III 324 sq. — Correlatiuum uerbum deest; ex. gr. VI 660 sq.; VII 849 sq. (*sufficit . . ., ut donet*): IX 1089 sqq.; VIII 677 sq. *Pompei diro sacrum caput ense recidis | ut non ipse feras?* H. l. *quin* exspectandum fuit.

Ut finale: I 369 sqq.; II 192 sq.; 486 sq.; 526 sqq.; 552 sqq.; 619 sqq.; III 333 sqq.; 383 sqq.; 395 sqq.; 687; IV 390 sq.; 519 sq.; V 206 sqq.; VI 46 sq.; 288 sq.; 619 sqq.; 822 sq.; VII 326 sq.; VIII 194; 390 sqq.; 679 sqq.; 771 sq.; IX 576 sq.; X 468 sqq. — *Ut* parenthesin inducit X 368 *ut fatear.* —

Tanti (quod Postgate in nota VII 669 addita »inuersum« uocat) praecedit II 62 sq. *uix tanti fuerat ciuilia bella mouere, ut neuter* (imperaret); III 51 sq. *nec uincere tanti, | ut bellum differret, erat.* — De consecutione temporum pauca sunt monenda: praes. post perf. hist. primariae VII 656 sqq. *ut . . . uiuat . . ., sustinuit . . .;* IX 375 sqq. *spes imber erat . . ., ut . . . temperet . . .*

Ut particula sententiae instituuntur obiectiuae: Post uerba precandi et hortandi: *precor:* VI 592; VII 264 sq.; *rogo:* IV 734 sqq.; *(ex)oro:* IV 218 sq.; *peto:* VIII 729 sqq.;

notum: III 497; IX 1098 sqq.; *exigo:* VIII 348 sq.; *iubeo:* IX 895 sq.

Interdum in horum uerborum structura exstat signum parataxeos, i. e. coniunctiui hortatiui; uelut *precor* II 699 sqq.; VII 68 sq.; *rogo:* VII 69 sqq.; *oro:* IX 546 sqq.; *admoneo:* II 637 sqq. (Sed h. l. nescio an ab apposito uerbo *admoneo* liber sit coniunctiuus); *hortatus* (subst.): VI 318 sq. — De qua re uide Schmalz[3] p. 355. Saepe tamen nexus laxior est; uelut (praeter II 637 sqq.) III 330 sqq.; IV 356 sqq.; VIII 112 sqq.

Ut post *ago:* IV 221 sq.; *compello:* VII 799 sqq.; VIII 717 sqq. (Inf. III 143 sq.): *rapio:* VI 29 sqq.; *facio:* IX 1103 sq.; *efficio:* VII 99 sq. *notumque effecimus hosti,* | *ut mallet sterni gladiis* (structura abundat); *praesto:* IV 213 sqq.; IX 405 sq.; X 387 sqq. (Inf. II 228 sqq.; V 228 sq.); *mereo:* IV 512 sqq.; *seruo:* VIII 187 sqq.

His exemplis saepe contigua sunt ea, ubi *ut* explicatiuum quodammodo esse uidetur; uelut II 4 sqq. *cur hanc tibi . . . uisum mortalibus addere curam,* | *noscant uenturas ut dira per omina clades?:* II 295 sqq, *procul hunc arcete furorem,* | . . . *ut** . . . | *securo me Roma cadat;* X 341 sq. *procul hoc auertite, fata,* | *crimen,* ut haec Bruto ceruix absente secetur:* VIII 349 sqq. *patimurne pudoris* | *hoc uolnus, clades ut* Parthia uindicet ante* | *Hesperias, quam Roma suas?* —

Ut sententiam subiecti uicibus fungentem inducit: X 285 *contingit . . . ut:* (Inf. V 529 sqq.); X 525 sq. *procul absit, ut* ista* | *uindictae sit summa tuae.* Haud ignoro de multis horum exemplorum ambigi posse, utrum ad consecutiuum an ad finalem huius particulae usum referenda sint.

Quo magis intelligas, quam arte inter se coniuncti sint hi usus, afferendus erit locus unus, quo *ne* consecutiuam sententiam inducere uidetur,

VII 406

cladis eo dedimus, ne tanto in corpore bellum
iam possit ciuile geri.

De hoc loco uide Postgatei notam. Cfr Schmalz[3] p. 404. Hic usus aeui corruptae linguae esse dicitur proprius.

---

* Hoc *ut* a principio nihil aliud esse uidetur quam particula ea *ut*, quae in interrogationibus indignationem exprimentibus nonnumquam inuenitur apud priscos comicos.

Quo (ante comparatiuum) = »ut eo»: IV 332 sqq. *quo . . . magis . . . soluant . . . sedere:* IV 509 sq.; VIII 98 sqq.; 414 sq. —

Quo particula inducitur sententia obiectiua IV 305 sq. *quoque minus possent siccos tolerare uapore,* | *quaesitae fecistis aquae.* Sed h. l. nescio an particula illa *quominus*, quae uerbis impediendi adnecti solet, agnoscere liceat. —

Ne finale: I 324 sq.; 393 sqq.; 522 sqq. (praes. post perf. hist. primariae); II 322 (*ideo* in primaria); 651 sq.; 698; III 296 sq. (*ne non*): 436 sq.; IV 141 sq.; 510 sqq.; 579 (praes. post perf. ind. primariae); V 387 sq.; 398 sq.; 418 sqq.; VI 130 sq.; 326 sq.; 328 sq.; VII 5 sq.; 83; 557 sqq.; 731 sqq.; 797 sq.; VIII 422 sqq.; 603 sq. (*ne non*): 616 sq.; 764 sqq.; 789 sq.; 791 sq.; IX 30 sqq.; 51 sqq.; 99 sq.; 713 sq. (praes. post perf. hist. primariae); 1057 sq. (*necubi . . .:* in primaria *hoc animo* = »eo consilio»); 1080 sq. (*ne non:* sed *non* ad unum uerbum referendum est). — Spurii loci esse uidentur VIII 124 et X 8. —

Ne inducit sententias obiectiuas: (*deprecor:* VII 380 sqq.; *oro:* VII 318 sq.; *peto:* IV 362; *praecipio:* II 688 sqq. (praes. perf. ind. primariae); *caueo:* VIII 824 sqq. — *Laboro:* III 62 sq.; *facio:* IX 1083 sq.; *efficio:* VII 101 sq. (*ut non* VII 427 spq.). — *Ne* explicatiuam sententiam inducit: VI 597 sq. *hoc casibus eripe iuris,* | *ne subiti caecique ruant:* VIII 125 sqq. *hoc solum crimen . . . detrahe . . .,* | *ne . . . uideare . . .*

Ne post uerba timendi: *metuo:* VII 95 sq. (*ne non*); 521 sq.; VIII 592 sqq. (praesens post perf. hist. primariae); X 425 sqq.; *paueo:* V 368 sq.; *timeo:* I 121 sqq.; VI 579 sqq.; VII 671 sq. (*ne non*); IX 900 sq.; *uereor:* VII 733 sqq. —

Ne post uerba impediendi: *Teneo:* (in primaria negatio inest).

IX 747

non decus imperii, non maesti iura Catonis
ardentem tenuere uirum, ne spargere signa
auderet

Quominus semel (uel bis; cfr IV 305 sq.): Post *prohibeo* uerbum in primaria negatum III 656 sq. *nec prohibere ualent obtritis ossibus artus,* | *quominus aera sonent.*

Quin in sententiis subiectis apud Lucanum nusquam inuenitur.

In sententiis negatis adiungendis Lucanus plerumque particulam, quae est *ne*, omisisse uidetur; semel fortasse adhibuit *ne* — *neu* — *neu*, II 688 sqq., sed discrepant codices (*ne* — *ne* — *ne*). *Neu* bis inuenitur certum, VIII 498 sq.; X 232 sq.; sed utroque loco copulantur primariae duae, quarum posteriori finalis sententia subiecta est.

III. Symbolae exegeticae.

Textum Lucanei operis tractaturo locos nonnullos interpretandi ac constituendi causa fatendum mihi est a doctis uiris laudabilem sane operam nauatam esse. Cuicunque cordi erit cognoscere, quantum his quinquaginta annis inde ab G. Steinharto praestiterint codicibus in lucem prolatis et in stirpes suas digestis, optimo quoque codicum dissertationibus libellisque propriis tractato, textu omnis Lucanei operis aut singulorum librorum edito, commentariis textui additis uel interpretatoriis uel criticis, Lucani fontibus et fide quaesitis, philosophia, ratione carminis componendi, colore poetico, arte metrica illustratis, is inspiciat ea, quae in praefatione editionis utriusque (1892, 1905) collegit C. Hosius, C. M. Francken in praefatione eius editionis, cuius priorem partem prodire iussit 1896, alteram 1897. His uiginti annis totum Lucaneum carmen edidit a. 1887 C. E. Haskins, Anglus, qui tamen editione Weiseiana (a. 1835) totus nisus commentario quam textu emisso de Lucano melius est meritus. Steinharti imprimis copiis usus Lucaneum opus edidit C. Hosius Monasteriensis 1892, iterum 1905. C. M. Francken Batauus annis 1896 et 1897 editionem prodire iussit eamque cum commentario critico coniunctam. Atque Hosius quidem, cui magis arridet tradita seruare quam emendare, in praefatione editionis alterius (p. LVII) de ratione operis Lucanei edendi sic profitetur: ». . . neque in scriptore, quo paucos inuenias melioribus membranis traditos, a studio uerba codicum tutandi, quoad fieri potest, animus hodie abhorret.« In altera editione Hosius veteribus codicibus diligentius inspectis et collatis nouis membranis inuentis iudicium antea de codicum inter se affinitate latum mutauit et nouo stemmate affinitatem illustrauit, sed paucos tantum locos aliter constituit. Franckeno uero non satis fuit diplomaticam effi-

cere editionem, sed conatus est locis difficilibus uel corruptis, quos permultos esse iudicarat, adhibere medelam et a Grotio, Hensio, Bentleio aliis et de suo ingenio sumptam. Sed in emendandi studio nescio an suo ingenio nimio plus indulserit nonnusquam temere suspicando damnando mutando. Quare fit, ut cum illo uiro doctissimo et de Lucano optime merito mihi saepius res sit agenda. Inter libros eos, quibus singulae lectiones Lucaneae uel explicandae et uindicandae uel emendandae continentur, afferre libet dissertationem, quae inscribitur Quaestiones Lucaneae, quam anno 1905 Gottingia emisit Robert Samse. Qui a Friderico Leone Gottingensi egregie se adiutum esse profitetur.

Nunc ad singula transeo uersuum ordinem obseruans:

Nisi quid aliud disertis uerbis indicatur, locos ita affero, ut editione Teubneriana (Hosii 1905) exhibentur.

I 21

tunc, si . . . Ita Hosius et Francken; *tum, si* . . . Weise-Haskins.

Pro hac lectione, quae est *tum*, faciunt V U P Z m codices; quod quum ita sit, nescio an Hosius et Fr. temere *tunc* receperint. Francken quidem, cur *tum* reiecerit, ostendit affirmando *tum* et *tunc* perpetuo in codicibus confusa esse, sed Lucanum ubique *tunc* usurpasse.

Atqui primum fuisse non uidetur, cur Lucanus potius quam ceteri scriptores aequales (ex Hispania * oriundos non excipio) uerbum illud, quod est *tum* euitaret. Ceterum, id quod haud parui est momenti, libros manu scriptos Lucanei operis inspiciamus, quem ad modum se habeant.

* Inspexi Senecae, auunculi eius, fabulam unam, Herculem furentem, ubi uersibus 365, 778, 807, 826 (ed. Leonis) *tum* inueni, quam formam Seneca ante uerba a consonantibus incipientia uulgo ponere uidetur in fabulis. Ante uocales autem *tunc* usurpat: cfr Herc. fur. uu. 798 (*tunc ipse* . . .) et 818 (*tunc et* . . .). At imprimis codex A saepe ante consonantes quoque ponit *tunc*. Constare tamen uidetur Senecam in fabulis scribendis ab usu *tum* uerbi non abhorruisse. Ne quis tamen hoc diceret fabularum sermonis esse proprium, perscrutatus sum libros nonnullos, quos pedestri sermone scripsit Seneca, si quando *tum* exhiberi inuenirem. Sic rem se habere repperi: *tunc* et ante uocales et ante consonantes exhibetur longe saepissime, sed interdum *tum* quoque exstat; cfr Epist. moral. XVII I 1 . . . . . *tum* aeterna meditatos respicere cogit ad mortem. l. l. XVII I 4 . . . . . *tum* deinde lassam et plenam senectutem in otium referam.

Tum uerbum saepius codicibus uel omnibus uel plerisque — in quibus optimis — se tueri testibus inueniemus. His locis ceterum et Hosius et Francken (!) consensum omnium adhibitorum codicum secuti exhibent *tum*:

III 622 .... *tum* uolnere multo .... IV 528 nox *tum* Thessalicas urguebat parua sagittas. Hic OC praebent *cum*; U *tum*; quae nisi esset genuina lectio, non propter antecedentem (u. 527) particulam, quae est *cum*, praue irrepsisset hoc quoque uersu *cum*, quod uerbum res ipsa respuit. — V 539 ... *tum* pauper Amyclas: ... Aliis uero locis Francken codicum spernit consensum, quasi plane nulla sit auctoritas; uelut I 221 .... *tum* cetera rumpit ... Ita Hosius cum O. II 20 *tum* questus tenuere suos ... Item V 549 ... *tum* lurida pallens ora tulit ...; VI 135 *tum* piceos ...; IX 224 *tum* respicit omnis ... Aliis uero locis tot optimorum codicum testimoniis nititur lectio *tum*, ut hanc formam recipi aequissimum sit, uelut I 356 ... summi *tum* munera pili ... O, nisi quod G solus *tunc* exhibet. I 522 ... *tum* ne qua futuri ... Ita Hosius omnium codicum fide fultus exceptis VP. I 561 *tum* pecudum ...; ita omnes codices praeter C. I 565 ... *tum quos* ... Ita Hosius cum codicibus omnibus excepto G solo. III 143 ... *tum* Cotta ...; ita omnes codices praeter Cz. V 479 *iam tum ciuili meditatus Leucada bello*; V *tunc*. VIII 456 *tum* Cilicum liquere solum; *tunc* V, *tu* (< *tũ*?) Z. VIII 612 ... *tum* stringere ferrum ...; ita codices, nisi quod *tunc* exhibent GQ, *cum* zgv. Multis porro locis quasi aequo Marte pugnant formae duae; quum passim tum his locis bene defendi posse uidetur forma, quae est *tum*: I 210, 552, 599; III 437; IV 85; V 222, 531; VI 275 aliis locis. Quare *tum* formam e Lucani carmine temere eradicare conatum esse Franckenum mihi quidem apparet.

Totum aliud est, nec tamen per se negligendum, *tum* uerbo in promptu fuisse finibus suis concedere[1] *tunc* formae, quae ut in uersu et ante uocales[2] et ante consonantes commode

[1] Umbricae quoque linguae duo sibi ita cognata aduerbia fuisse constat, dico *en(n)o(m)*, *enu*: *enumek*, *enuk*, *inum(e)k*, *inuk*.

[2] Poetis dactylicis syllabam *-um* uerbi *tum* elidere non nimis placuisse par est. Nec tamen elisionis exempla plane desunt; cfr E. Norden p. 446 eius libri, qui inscribitur P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI erklärt von Eduard Norden, Leipzig (Teubner) 1903. Elisionis genus consimile exstat apud Lucanum II 27, 158 (*necdum*): II 217; III 752 (*iam*).

poni posset, ita per analogiam fulciretur forma * *nunc*. At rursus *tum* forma fulciebatur particula, quae est ***quum***, cui saepe respondebat. Quod quum hae particulae coniunctae posteris temporibus in dies magis obsoleuissent, *tum* forma paulatim altera extrusa est. Quem exitum habuisse in sermone uulgari certamen apparebit, si quis inspexerit linguas e Latina oriundas, ubi nulla uerbi *tum* exstant uestigia, sed formae *tunc* particulae cognatae eodem fere sensu occurrunt; cfr *donc* francogallicum.

I 30

non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit;

Haec lectio tradita; Bersmann quidem V codicem secutus recepit *erat*. De datiuo cum uerbo *auctor* coniuncto Haskins: »I am unable to find any other instance of the use of *auctor* with the simple dative instead of genetive.» Ad hoc Damsté (Mnemos. XVIII pp. 342 sqq): »Quare mecum lege *auctus* seruata aliorum codicum mss. lectione *erat*, ita ut clades populi Romani, quibus Hannibal auctus est, minores fuisse dicantur calamitatibus, quas civilia bella Italiae tulerunt. Cfr Horatii Sat. I VI 11 *Et uixisse probos amplis et honoribus auctos*.» — Huic Damstei explicationi obstant duo, prius quod hic de cladium comparatione non agitur, sed quaeritur, quaenam sit praesentis Italiae solitudinis et ruinae causa; cfr Obermeier l. l. p. 77. *Tantis = his tantis;* cfr Luc. IV 793 sqq.; V 480 sqq.; VII 553; imprimis uero VII 406 sqq. *cladis eo dedimus, ne tanto in corpore bellum | iam possit ciuile geri. Pharsalia tanti causa mali*. Alterum est, quod *auctus* uerbum eo sensu, quo accepit D., latine adhiberi prorsus non uidetur. Accidit quidem, ut *augeri* cum substantiuo incommodi aliquid signi-

* *Nunc* = *num* + *ce: num* (*νῦν : νύν*) seruatum est in particula, quae est *etiamnum* (= *etiam-nunc*), quam diu retinuit sermo poeticus; cfr Ouid. Metam. XV 815 et referam, ne sis *etiamnum* ignara futuri . . .: hanc formam apud Lucanum quoque haud scio an agnoscere liceat V 248, 772; VII 657; IX 717, 874, ubi Hosius ubique cum librariis paucis recepit formam rariorem. *Num* simplex quominus hoc sensu seruaretur, obstitisse uidetur et huius formae cum interrogatiua particula similitudo, et quod *nunc* forma elisione semper libera nec quod ad sensum umquam obscurata aptior uidebatur. Et expulit prorsus *nunc* forma alteram formam demonstratiuae particulae, quae est *-c(e)*, immunem iam ante ea tempora, quorum sermonis usus litteris seruatus est.

ficanti coniungatur, — cfr Plaut. Stich. 55 *scio átque in cogitándo maerore aúgeor.* Ter. Heaut. 628 *sústulisti* : : Sy. *síc est factum: dómina ego, érus damno aúctus est.* — sed, ut illud omittam quod tum *augeri* irrisionem quodammodo sapit, notandum est *augeri* numquam dici nisi de eo, cui accidat aliquid uel gloriosi et boni uel incommodi. Iam uero pergamus ad lectionem traditam tractandam, si nulla coniectura opus sit. Ac primum quidem constituendum *erit* idem ualere quod *fuisse* (*esse*) *inuenietur.* Huiusmodi structuras docti uiri signant nomine futuri probabilitatis; cfr Obermeier l. l. p. 77. Iam Weise interpretatus est: »sc. *olim quaerenti*». De toto hoc futuri genere cfr huius libri partem syntacticam pp. 38 sqq. Quod uero ait Haskins datiuum rei *auctor* uerbo rectum altero non fulciri exemplo, satis multa exempla afferri posse uidentur ut in uoce paullo rariore; cfr Valer. Flacc. Argon. V 269 sqq. . . . *ipsum, qui talibus auctor, . . . ense ferit;* Claudian. VIII 638 sq. (Kochi ed.) *sed patriis olim fueras successibus auctor, nunc eris ipse tuis:* Claudian. XXVIII 659 sq. . . . *magno sextus tamen iste superbit nomine: praeteritis melior, uenientibus auctor.* Latine *causa* uerbum eodem plane sensu de rebus dici quo de personis uerbum, quod est *auctor*, constat. Quod si exempla uerbi *causa* cum datiuo rei coniuncti inuenientur, huc ergo referenda sunt. Cfr proinde Lucan.

III 605 sqq.

discreuit mors saeua uiros, unumque relictum
agnorunt miseri sublato errore parentes,
aeternam causam lacrimis; . . . —

I 265

. . . *causas inuenit armis:*

Lucr. V 529 (Briegeri ed.) *motibus astrorum nunc quae sit causa canamus.* (Cum hoc exemplo conferri potest Juuenal. Sat. X 276 *exilium et carcer Minturnarumque paludes | et mendicatus capta Carthagine panis | hinc causas habuere;*) Propert. III XII 9 sq. (Luc. Muelleri ed.) *illic te nulli poterunt corrumpere ludi | fanaque, peccatis plurima causa tuis.* Horat. Sat. I VI 71 *causa fuit pater his . . .*; Verg. Aen. III 305 *et geminas, causam lacrimis, sacrauerat aras:* Verg. l. l. IV 290 . . . *quae rebus sit causa nouandis* . . . Claudian. XXIX 189

sq. . . . *magnisque coronis | coniugium fit causa tuum.* Nec inutile erit colligere exempla datiui substantiuis uerbalibus actorem significantibus recti; cfr Plaut. Trin. 204 *illórum uerbis fálsis acceptór fui.* Plaut. Truc. 859 *amáns tutorem méd adoptauít bonis.* Ubi lectio quidem incerta est, sed datiuus certus esse uidetur. Lucan. V 478 *ductor erat cunctis audax Antonius armis.* Sil. Ital. Pun. II 495 *statque dies ausis olim tam tristibus ultor.* l. l. XIII 363 . . . *magnis fautor non futilis ausis.* Claudian. XXII 322 *sic trabeis ultor Stilicho Brutusque repertor.* Alia quoque exempla abundant. Lucanea sunt: II 67 *atque aliquis magno quaerens exempla timori* . . . II 224 . . . *hic stabit ciuilibus exitus armis.* II 346 *non me laetorum comitem rebusque secundis | accipis.* IV 4 sq *iure pari rector castris Afranius illis | ac Petreius erat.* VI 397 sq *Thessalicus sonipes bellis feralibus omen | exsiluit.* VII 342 sqq . . . *'quem flagitat', inquit, uestra diem uirtus, finis ciuilibus armis, | quem quaesistis, adest.* VIII 265 . . . *rebusque nouis exordia quaeram.* VIII 411 *stabit barbarico coniunx millesima lecto.* VIII 427 *Assyriae paci finem, Fortuna, precamur.* VIII 716 *socios se cladibus optant.* Conferre licet Plaut. Most. 118 *haec argumenta ego aedificiis dixi:* Trin. 522 *ei rei argumenta dicam.* Plaut. Amph. prol. 44 sq . . . *quis benefactis méus pater, | deorúm regnator árchitectus(t) ómnibus?* Ter. Andr. 458 *nam si hic malist quicquam, ém illic est huic reí caput.* Lucr. II 1066 sq *nunc et seminibus si tanta est copia, quantum | enumerare aetas animantum non queat omnis,* . . . Ubi pro datiuuo expectandus fuit genet. partitiuus. Verg. Aen. VII 139 sq *Idaeumque Iouem Phrygiamque ex ordine matrem inuocat et duplices coeloque ereboque parentes.* l. l. VII 637 . . . *it bello tessera signum.* Sen. Med. 378 sq . . . *nec sit terris ultima Thule.* Dat. = gen. part. Sil. Ital. Pun. I 195 *aut ingens Asiae latus aut pars tertia terris.* Dat. = gen. part. Claudian. VIII 647 *quaenam tot diuis ueniet nurus, . . .?*

Huiusmodi datiui Tacito rerum scriptori in deliciis fuisse uidentur; cfr Ann. II XLVI *paci firmator:* II LXIV *causas bello:* Hist. IV XIX *causam seditioni.* Qui usus quin Tacito poeticus fuerit, non dubito. Restat, ut de origine huius datiui pauca

addamus. De qua re uide Draeger[1] Vgl. Synt. I 405 sqq. Conferre licet dissertationem, quae inscribitur Étude historique sur la construction »le filz li rei», quam edidit Alfred Westholm, Vesteras 1899. Quem datiui usum in aliis quoque linguis agnoscere licet; uelut Callimach. Hymn. I 3 *Πηλαγόνων ἐλατῆρα, δικασπόλον οὐρανίδῃσι.* Talem datiuum constituere libet in praefatione legis Uplandicae (cod. Ups. L 12); cfr Ad. Noreen, Altschwedisches Lesebuch, Halle 1894, p. 11 l. 19 *thæt skulum wir til okiæ i upbyriæn thessæri bok.* Sed altera quoque huius loci explicandi ratio admitti uidetur.

I 72

. . . sic cum compage soluta
secula tot mundi suprema coegerit hora,
anticum repetens iterum chaos, omnia mixtis
sidera sideribus concurrent, ignea pontum
astra petent, . . .

Ita in editione altera Hosius cum codicibus excepto F, qui *mixta* exhibet; antea ediderat *mixtim*, quod acute coniecerat Usener. Francken post *omnia* uirgula posita Rutgersio astipulatus edit *repetent* (*omnia*) et cum F codice exhibet *mixta* — lectio per se perbona. Ceterum fuerunt, qui cum Bentleio totum illud *omnia . . . concurrent* spurium iudicarent; cfr E. Trampe, De Lucani arte metrica p. 70. Equidem haud scio an nulla ne minima quidem mutatione opus sit. Hic nimirum mundi tempora et horae quasi iter in chaos facientia inducuntur, supremam horam agmen cogentem[2] facit poeta; quae quum et ipsa in chaos peruenerit, tum demum omnis mundi ordo solutus erit; sunt enim horae et omnino tempus certi huius mundi ordinis signum et nota. At enim in structura illa *omnia mixtis sidera sideribus concurrent* offenderunt editores. Quam difficultatem totam dissoluere difficile erit. Sed duas interpretandi rationes ostendere mihi liceat. Aut

[1] Draeger p. 407 haec habet: »Der von einem Substantiv abhängende Dativ bezeichnet bei Tacitus in der Regel, aber nicht immer, die Rücksichtnahme auf den speciellen Fall, das Absichtliche, während der Genetiv das Allgemeine, Wesentliche angiebt. Dr. hoc datiui genus primigenio finale esse constituit.

[2] Horae et temporis spatia a poetis nonnumquam quasi uiua et iter facientia inducuntur; cfr Lucan. V 5 sq *instabatque dies, qui dat noua nomina fastis | quique colit primus ducentem tempora Ianum.*

pro abl. absoluto habeamus uerba, quae sunt *mixtis sideribus:* tum *concurrent* uerbum absolute positum erit, sicut V 606 sq . . . *motaque possunt | aequora subductis etiam concurrere uentis* (quem locum perperam interpretatus est Obermeier; cfr E. Nordenstam, Stud. Syntact. II p. 14). Wegen des Durcheinandergehens der Sterne wird sich ein allgemeiner Zusammenstoss ergeben.» Altera ratio mihiquidem magis placet. Quid enim impedit, quominus *mixtis sideribus* datiuum esse constituamus et sit locus hic eodem de genere quo Lucan. I 6 sq (*canimus*) . . . *infestisque obuia* signis | signa.* VII 197 sq *seu . . . notauit, | aethera seu totum discordi obsistere caelo.* Locus is, quem tractamus, *Omnia mixtis sidera sideribus concurrent,* uerborum quoque collocatione illi loco simillimus esse uidetur. In codicum lectione denique acquiescendum uidetur.

I 84

tu causa malorum
facta tribus dominis communis, Roma, nec umquam
in turbam missi feralia foedera regni.

Ita codices et editores. Non item de interpretatione uersus 86 constat; quin etiam singuli interpretatores uacillant in iudicio ferendo. Haskins quidem uaria temptat: nunc *turbam* significare posse ostendit *dissensiones* uel *discordias;* nunc uero *in turbam mitti* idem ualere quod *ex electione totius populi pendere;* nunc *turbam* spectare ad Caesarem, Pompeium, Crassum, additis exemplis, quibus *turba* uerbo paruum admodum numerum significari posse effectum uult. Addere potuit Ouid. Metam. VI 199 sq *non tamen ad numerum redigar spoliata duorum, | Latonae turbam.* Sed hi loci, ut quibus irrisio quaedam subsit, huc referendi non sunt, nisi egregie me fallit opinio.

Hosius codicum lectionem nulla explicatione addita recepit. Francken commemoratis aliorum coniecturis — *felicia foedera* (Grotii); *durantia f.* (Bentlei); *uitalia* (aliorum) — ipse coniecit acute, sed contra rationem palaeographicam, *inturbata*

* Mihiquidem h. l. *obuia* idem fere est quod *contraria* siue *aduersaria;* cfr Claudian. XXIV 140 sq . . *manus. haec obuia fatis | innumeras uno gereret cum tempore pugnas. . . .* Stat. Theb. IV 184 . . . *quis obuia numina temnat?* Fortasse l. l. VI 747 . . . *manibus nunc obuia tela | discutiens.*

istis. Constare uidetur hic dicere uoluisse poetam societatem regni belli causam fuisse; cfr et ea, quae antecedunt (u. 85), et ea, quae sequuntur. Cfr I 289 sqq. *socerum depellere regno decretum genero est; partiri non potes orbem, | solus habere potes. Regnum* et *dominus* coniungere solet Lucanus; cfr I 350 sq. *neque regnum quaeritur armis: | detrahimus dominos urbi seruire paratae.* Vertendum fortasse sic est: »der verderbliche Vertrag zur Theilung einer Alleinherrschaft, die die daraus sich ergebenden Verwicklungen nimmer erträgt.»

I 100

. . . . qualiter undas
qui secat et geminum gracilis mare separat Isthmos
nec patitur conferre fretum, si terra recedat,
Ionium Aegaeo frangat mare: sic, ubi saeua
arma ducum dirimens miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculauit sanguine Carrhas,
Parthica Romanos soluerunt damna furores.

Ita equidem hunc locum constituendum et interpungendum arbitror. Hosius, qui 1892 edidit *male* (u. 101) cum Cortio (UV?), nunc praebet *mare*, recte, ut nobis uidetur. Cortio enim si astipulemur, aut *geminum* pro eo, quod est *geminum mare*, aut *conferre* uerbum absolute positum esse arbitremur necesse erit. Quod recte fieri iure negat Heitland Cl R 1894 p. 36. Accedit, quod eum Papinianum locum, quo hunc munire uoluerat Hosius, Theb. I 120, hunc in usum uertere non licet, . . . *dubiamque iugo fragor impulit Oeten | in latus, et geminis uix fluctibus obstitit Isthmos:* hic nimirum non de rerum statu uulgato, sed de rebus naturae a Tisiphona dea motis. Ceterum non solum ad uerba ipsa *geminum mare* fulcienda nonnihil ualere uidetur locus unus epigrammatis, quod uulgo ascribitur Senecae philosopho, Anthol. Lat. L uu. 5 sq *ante mari gemino semper pulsata Corinthos | confundet fluctus peruia facta* (cfr *si terra recedat*) *duos.* Cfr Stat. Theb. VII 106 *Acrocorinthus . . | . . alterna geminum mare protegit umbra.* Claudian. V 190 *non mare fumasset geminum flagrante Corintho.* Restat, ut paucis disputemus, quaenam inter sententias intercedat ratio. Sic coniungenda censeo uerba: *qualiter . . . Isthmos . . . frangat: sic . . . Parthica damna soluerunt . . .* Verbum

igitur, quod est *Isthmos*, pro subiecto habeo uerbi *frangat.* Aliter enim sine uerbo positum esset *Isthmos;* tum uero uirgulam tantum ante *qualiter* ponere oportebat. Ea, quam proposui, interpretandi ratio loco illo anthologiae haud obscure commendari uidetur. Item Papiniano illo loco, quem attulit Haskins, Silu. IV III 59 sq *his paruus, nisi cliuiae uetarent, Inous freta miscuisset Isthmos.* Postremum magni interest cognouisse, quonam modo particula illa *qualiter* Lucanus uti soleat. Atqui praeter hunc locum semel tantum hanc particulam habet Lucanus, I 150 sqq, quo loco non multum iuuamur. Sed cfr *qualis . . . sic* I 498—504. De lectione codicum, quae est *conferre fretum*, cuius loco Francken posuit Bentleianam, *conferre gradum*, defendendi causa optime disputauit W. E. Heitland Cl R XI (1897) I.

I 227

credidimus fatis, utendum est iudice bello.
sic fatus noctis tenebris rapit agmina ductor
impiger; it torto Balearis uerbere fundae
ocior et missa Parthi post terga sagitta
uicinumque minax inuadit Ariminum, **et** *ignes*
solis lucifero fugiebant astra relicto.

Pro codicum *et* (u. 231) Francken positum uult *ut* a Grotio acute repertum. Haskins Weiseo astipulatus particulam omnino eiciendam ratus pro *Ariminum* ponit *Ariminon;* tunc plene interpungit. Hosius uero *et* retinuit idque merito, opinor. Nam constat poetas Romanorum epicos hoc uerbo *et* — additis quidem saepissime aduerbiis, qualia sunt *interea, iam* — interdum inducere narrationem, qua quasi depinguntur et sub oculos subiciuntur ea, quae, dum magni momenti rem aliquam gerunt homines uel uerba fatorum plena dicunt, in caelo fieri uideantur. Cfr Verg. Aen. X 254 sqq *tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques | augurium Phrygibusque adsis, pede, diua, secundo. | tantum effatus. et interea reuoluta ruebat | matura iam luce dies noctemque fugarat.* Hoc Vergiliano loco dies fugata nocte exoriens salutem haud obscure portendit; item Lucaneo hoc loco astra relicto Lucifero fugientia solem portendere exitum belli ciuilis instantis apparet. Atque hic

quidem adhiberi posse structuram, qua paratacticae copulationis uicibus fungatur quum inuersum, apparet. Id tantum interest, quod hic insolitum in modum post actionem principalem ponitur sententia ea, qua exponitur, quae eodem tempore acciderint. Quod h. l. rei unice conuenire uidetur ideo, quod illo sententiarum ordine uis quaedam maior additur ei rei, quae quasi subicienda est sub oculos. Ceterum quam uarie connectantur huiusmodi locis inter se sententiae, apparet, si cum loco hoc conferimus locos quales sunt Verg. Aen. VI 498 sq., l. l. XI 296 sq.; in re consimili aliter temporum uariatio comparata est Verg. Aen. II 692 sq.

uix ea fatus erat senior, subitoque fragore
intonuit laeuum.

H. l. actio principalis inducitur particula *-que, et;* cfr Graecorum *καὶ τότε δή.* Aliter uero constitutus est locus Silianus, Pun. XVII 158 sq.

quarta Aurora ratem Dauni deuexerat oras,
et fera ductoris turbabant somnia mentem.

Atque hic quidem metri necessitatem non adesse apparet.

I 262

ecce faces belli dubiaeque in proelia menti
urgentes addunt stimulos cunctasque pudoris
rumpunt fata moras;

Francken edit . . *bello dubi**asque** men**tis,*** illo loco Bentleio astipulatus, hoc de suo promens. Bentleium, nisi fallor, ad mutandam codicum lectionem adduxit *que* particula *dubiae* uerbo addita. Sed nihil obstat, quominus hic particulam copulatiuam additam arbitremur uerbo duobus membris communi; cuius rei apud Lucanum nonnulla reperiuntur exempla; particulae copulatiuae ita adhibentur

I 30 *non tu, Pyrrhe ferox,* **nec** *tantis cladibus auctor*
Poenus erit;
V 360 . . . . *procumbite terra*
*infidumque caput feriendà***que** *tendite colla.*
V 416 *nec maris anfractus lustrandaque littora nobis.*
Fortasse VII 462 sq.

Particulae disiunctiuae:

III 478 sq. . . . . *nec Grais flectere iactum*
aut facilis labor est longinqua ad tela parati
tormenti mutare modum;

V 529 sq. . . . . *quibus hoc contingere templis*
aut potuit muris nullo trepidare tumultu
Caesarea pulsante manu?

Horatio hanc copulandi rationem in deliciis esse constat; apud alios quoque poetas interdum exempla inueniuntur, uelut Val. Fl. Arg. II 223 sq.

sed temptare fugam prohibetque capessere contra
arma metus;

Quod si ita, ut ostendimus, res se habet, absolute positum est *in proelia urgentes:* quam late apud Lucanum absolutus uerborum usus pateat, si quis cognoscere uult, inspiciat tabulam, quam ad VI 127 composuimus. Restat, ut de uerbis quae sunt *dubiae . . . menti* paucis agamus. Ac mihi quidem dubium non est, quin de Caesare dicta sint. Conferas uelim ea, quae continuo sequuntur, uu. 264 sq. *iustos fortuna laborat* | *esse ducis motus et causas inuenit armis.* Item 272 sq. *utque ducem uarias uoluentem pectore curas conspexit;* nec non conferri potest 281 *tolle moras: semper nocuit differre paratis:* item 361 sq. *quod tam lenta tuas tenuit patientia uires,* | *conquerimur.* Heitland quidem Cl R 1897 p. 39 ad muniendam singularem formam quae est *menti* de pluribus usurpatam affert duos Lucaneos locos, IV 704, VII 183. Neuter satisfacere uidetur: nam IV 704 generalis sententia est; ceterum post *miles* uerbum collectiuo sensu adhibitum singularis numerus uerbi quod est *mens* rei ipsi proprius est; VII 183 *mentis* singularis spectat ad collectiuum singularem plures significantem. Ergo: faces belli et stimulos in proelia urgentes dubiae Caesaris menti addunt fata.

I 227

at postquam leges bello siluere coactae,
pellimur e patriis laribus patimurque uolentes
exilium; tua nos faciet uictoria ciues.

Pro *uolentes* uerbo *dolentes* legendum contendit Aemil. Schaefer.* Et Hosius et Francken illius coniecturae mentio-

* Aemil. Schaefer, Obsernationes criticae in M. A. Lucani Pharsaliam et P. Papinii Statii Siluas, dissert. Monaster. 1886.

nem fecere, Francken quidem »acute» addens. Ac Schaefer, cur *dolentes* legendum arbitretur, has exponit causas:

1. Quomodo *uolentes* uerbum explicari possit, non uidere se. Dicere enim Curionem ui ex urbe se esse expulsum, quod tamen fiere non potuisse, si *uolens* exilium passus esset et sua sponte urbem reliquisset.
2. Porro si *uolens* exilium passus esset, quid fuisse, cur a Caesare peteret, ut in patriam se restitueret? Legere enim se *faciat*. Etiamsi legendum constituamus *faciet*, sic quoque repugnatura sibi esse uerba *pellimur* et *uolentes*.
3. Ceterum admodum esse mirum hominem uere Romanum dicere libenter se carere patria. Ergo *dolentes* legamus necesse esse.

Sed primum quonam modo contra huius loci sensum, qualem explicauit Schaefer ipse, *dolentes* uerbum praue abire potuit in *uolentes*, praesertim quum non admodum prona sit haec mutatio, palaeographicam si spectemus rationem? Accedunt interna quoque:

1. Verba *patimurque uolentes exilium* interpretanda sunt considerando ea, quae paullo scripta sunt, uu. 273 sqq., quae hoc fere ualent: »quamdiu nondum omnia poterat uis armorum, tamdiu imperium tibi tracturi in urbe mansimus, quamvis infesti essent mihi aduersarii tui; iure aliquid tamen ualente mihi quoque locus fuit. Quum uero iam pro legibus adeo posita sit ius armorum, ut ego iuris uindex — quamuis sacrosanctus magistratus — expulsus sim, haud inuitus patria careo.»
2. Constituendum uidetur Curionem a Caesare non petiuisse, ut in patriam se restitueret, atque profecto acquiescendum uidetur in lectione omnium optimorum codicum, *faciet*, quam fortasse propter imperatiuum sequentem oscitanter emendans librarius quidam mutauit in *faciat*. Videtur enim uerus sensus esse hic: »non nisi Pompeio, superbissimo illo domino, deiecto et pristino rei publicae statu reducto ciues patriae reddemur; quod profecto breui fore confido.» De qua re uide Haskinsi notam.
3. Verbum *uolentes* per se mirum hoc rerum loco ad indignum rei publicae statum audientibus depingendum mirum quantum ualet.

I 291

. . . . . . *sic postquam fatus, et ipsi*
in bellum prono tantum tamen addidit irae
accenditque ducem, quantum clamore iuuatur
Eleus sonipes,

Hanc lectionem codicum consensu se commendantem impugnant Bentley et Francken. Ille quidem miratus, quisnam esset dux ille diuersus a Caesare, sic mutandam censuit lectionem: *in bellum* **prompto** *t. t. a. i. accenditque* **facem** . . . Francken iusto plus mutasse Bentleium ratus: »Sufficit, opinor, *duci* scribere . . .: tantum irae admouit et accendit duci, et ipsi in bellum prono.» Mihi quidem nulla ne minima quidem mutatione opus esse uidetur, si ad *irae* uerbum referamus *tantum . . . addidit*, quae cuncta *et ipsi in bellum prono* (*duci*) addantur; *accenditque* uero referamus ad *ducem* uerbum. Hoc ergo significat locus hic: »Duci et ipsi in bellum prono tantum tamen addidit irae adeoque eum (= *ducem*) accendit, quantum» . . . — Ex pronomine quod est *tantum* facile sumitur aduerbium quale est *adeo*, id quod Franckeno quoque audiendum, quum tantum irae accendere non facile latine dicere liceat. Hanc structuram, quam hic praebet Lucanus, uulgari inuerso ordine allata effici apparet. »Duci tantum addidit irae» = aut: »verstärkte so (die Wuth) den Eifer des Feldherrn» aut: »rief im Busen des Feldherrn solch einen Eifer hervor»; cfr Sil. Ital. Pun. I 70 sq. **hanc rabiem** *in finis Italum Saturniaque arua* | **addiderat tantam puero** *patris heu furor altus.*

I 314

scilicet extremi Pompeium emptique clientes
continuo per tot satiabunt tempora regno?

Perbene monet Francken a Pompeio in Hispania et Oriente multos ciuitate donatos esse. Attamen lectionem uulgatam quamuis codicum concentu se tuentem respuens recipit Heinsii coniecturam *hesterni* pro *extremi*, iniuria, nisi fallor. Credo equidem uerbo *extremi* Caesarem ualidiore uoce significare *externos*, qui a Pompeio ciues facti ex extremis orbis terrarum partibus Romam uenissent, ubi grato animo Pompeio immodice fauerent; uerbo *empti* autem ciues egenos, quos Pompeius argento frumentoque largiendo sibi conciliasset. Ab istis Pom-

peium honoribus extolli, non ab indigenis ciuibus et quorum arbitrium illecebris auri detestabilis intactum esset. Ita continuo regno satiari Pompeium atque deseri institutum illud maiorum, ne cui magistratus continuaretur aut breuissimo tantum intermisso spatio iteraretur. His ciuibus barbaris et auro corruptis facile opponuntur milites Caesaris, quos uere Romanos et domitores mundi (VII 250 sqq.) esse saepe monet Caesar Lucaneus, et qui iure *paupertate pii* (V 273) appellari potuerunt. Francken de *extremi* uerbo: Tolerabilius esset *extremi* per *infimi* interpretari.» Sed in oratione habita ad milites, qui plerumque infima erant de plebe, ut illis temporibus fieri solebat, non facile credi potest Caesarem, quo nemo melius militum animos flectere nosset, ciues increpasse, quod infimo loco nati essent. Restat ut exemplis de Lucano aliisque poetis sumptis probemus posse uerbum quod est *extremus* idem ualere quod *longinquus:* »fernwohnend«, »aus der Ferne her gekommen«. Omnium primum afferendum exemplum Lucaneum, IX 474 sq. *illud in extrema forsan longeque remota* | *prodigium tellure fuit.* Ubi multi editores temere praebent *externa.* Ceterum uix dubitari potest, quin uerbis quae sunt *extremi clientes* iidem indicentur, qui IV 233 sq. uocantur *mundi extrema tenentes reges.* Saepe haud facile discernas, utrum *extremus* uerbum melius uertas »fern wohnend« an »am äussersten Rande des Erdkreises sesshaft«. *Mundi extrema* cfr III 454; X 276.

Extremus uerbum de hominibus eodem sensu, quo h. l. adhiberi uidetur

III 249 *tum furor extremos mouit Romanus Orestas*
IV 669 . . . *Libyae gentis, extremaque mundi*
signa suum comitata Iubam.
Catull. XI 2 *siue in extremos penetrabit Indos,*
Horat. Epist. I I 45 *impiger extremos curris mercator ad Indos*
l. l. I VI 6 . . *maris extremos Arabes ditantis et Indos*
Verg. Georg. II 114 . . . *extremis domitum cultoribus orbem*
Claudian. Rapt. Pros. I 83 *quidquid ab extremis ales longaeua colonis* | *colligit . . .*
Claudian. V 149 *extremos ultra uolitat gens si qua Britannos*
Claudian. XXIV 147 . . *in extremos aciem mittebat Hiberos*
Id. XXVII 416 *uenit et extremis legio praetenta Britannis*
Id. LII 21 *erret et extremos alter scrutetur Hiberos*

De regionibus sensu consimili adhibetur
III 227 ... *extremae resonant naualibus Aegae*
VI 1 .. *procul extremis terrarum* ... *in oris*
VI 325 *extremum Scythici transcendam frigoris axem*
VII 541 ... *Gallique extremique orbis Hiberi*
Sil. Ital. Pun. XV 528 ..... *extremo de littore rapta intulit arma mihi*
Id. XV 638 *per decora extremo uobis quaesita sub axe.*
Claudian. VII 205 *ite per extremum Tanaim pigrosque Triones.*

I 340

... mihi si merces erepta laborum est,
his saltem longi non cum duce praemia belli
reddantur; miles sub quolibet iste triumphet.

Ita codices secuti Weise-Haskins et Hosius; Francken cum uulgata edit *non me duce*, deinde coniecit *sub quo iubet iste* pro *sub quolibet iste*, tum *triumphet* uerbum a sequentibus uirgula tantum posita distinguit, quasi *mihi si ... triumphet* protasin esse arbitretur.

Haskins haec tantum: »*iste* = 'this soldiery of mine' cfr V 351.» Francken quidem, cur mutandam censeat lectionem codicum, has ostendit causas: *iste* uerbo non posse significari milites Caesaris h. l., ubi ipse milites suos compellans dux cauere debuisset, ne eos uideretur contemnere. Sed conferas uelim, quae Obermeier l. l. p. 15 de usu *iste* pronominis exposuit: »*Iste* hat bei Lucan die übrigen Demonstrativa geradezu verdrängt. Denn es steht sogar regelmässig statt *hic* bei Verhältnissen, welche die redende Person betreffen.» Tum sequitur tota exemplorum nubes. Proinde uideamus, num Lucanus, ubi *iste* uerbo significauit *meus*, sensu peioratiuo, ut ita dicam, hoc pronomen adhibuerit. Sunt loci illi III 125 sq.; V 351 sqq.; VI 241 sqq.; VII 790. Nullo horum locorum contemptus notionem addi credo. Imprimis notandus uidetur locus, VI 241, ubi sunt haec

»Soluat», ait, »poenas, Scaeuam quicunque subactum
sperauit; pacem gladio si quaerit ab isto
Magnus, adorato summittat Caesare signa.»

H. l. Scaeua uictoria, quam solus reportauerat, elatus de gladio suo uerba facit. Hoc igitur Franckeni argumentum facile

refutatur. Deinde Francken: Caesarem cum irrisione Pompeium iubere ducem indicare, sub quo uictor exercitus triumphans moenia intret. *Non cum duce* et ad uulgatam et ad emendatam lectionem (*sub quo iubet iste*) male quadrare. Concessiua esse *reddantur* et *triumphet*, apodoseos uicibus fungi *conferet . . . fessis?* = »at P. rura dare non potest». Hoc perperam Francken; nam *saltem* uerbum ostendit *reddantur* et *triumphet* hortatiua esse. *Si merces erepta . . . est* concessiua sententia est; cum qua conferri potest locus unus simillimus, VIII 837 sqq.

. . . . si saecula prima
uictoris timuere minas, nunc excipe saltem
ossa tui Magni,

Ad codicum lectionem explicandam transeamus. Totus hic locus captationem beneuolentiae ostendit conspicuam; *quolibet* uerbo uel maxime indicatur Caesari summam esse uoti, ut triumphent milites, dux nullius fingitur momenti, quo maior uis accedat militibus. Tum uero lectione quae est *non cum duce* nihil efficacius. Inauditum sane erat ducem non simul cum exercitu triumphanti urbem introire. *Dux* = »is, cuius auspiciis milites reportauerunt uictorias, e quibus triumphaturi sunt». Hac igitur lectione conuenienter militibus uis quam maxima additur.

I 372

iussa sequi tam posse mihi quam uelle necesse est.

Multi uiri docti offenderunt in iunctura illa per *tam . . . quam;* ac Bentley quidem conicit *quam . . . tam*, ita nimirum tolerabiliorem euadere sensum ratus. Francken recepit emendationem Withofi, *iuuat* * pro *mihi*. Heitlando quoque hic locus suspectus est (Cl R XI 1 fasc.). Mihi quidem omnia sana esse posse uidentur. *Iussa sequi uelle* = »dicto imperatori audienti esse»; *iussa sequi posse* = »hostes et difficultates quaelibet uincere». Tota haec militis ueterani oratio ualde rhetorica est; hic miles ille ad uim uerborum, quae sunt (u. 362) *decratne tibi fiducia nostri?* intendendam ostendit milites omnia, quae-

* Iis fortasse obuersati sunt loci quales VI 494 sq. . . . *parere necesse est | an iuuat?* Stat. Silu. II 1 87 sq. . . . *natos genuisse necesse est. | elegisse iuuat.*

cunque iusserit Caesar, exsequi et uelle et posse necesse esse, si et ab imperatoris poenis et ab hostium atrocitate tuti esse uelint; cfr VII 307 *cum duce Sullano gerimus ciuilia bella.* Haec, in qua uulgo offenderunt docti, inuersa uerborum *posse* et *uelle* ratio magnam uim habere uidetur ad fiduciam Caesaris augendam. Aliter W. E. Heitland, Cl R XI 40: »The centurion is under constraint: he cannot say *non possum* in the face of his previous exploits: he cannot say *non uolo*, for he has gone too far to turn back.» Sed ita quoque lectio codicum probabilem explicatum habere uidetur.

Iam uero metricae quoque rei ratio habenda, si quid inde sumere possimus, quod ad lectionem codicum fulciendam aptum sit. Atque notandum est uulgatam praebere ictu percussa in caesuris * similiter desinentia: *iussa sequi* | *tam posse mihi* | . . . — De huiusmodi rebus egit Lucianus Mueller, De re metrica² pp. 567 sqq.; p. 569 haec habet: ». . . apte mehercule homoeoteleutis eae partes metrorum, in quibus utique necesse est immorari uocem, scilicet in caesura et exitu numeri positae, et p. 570: »In his tamen omnibus semper probe obseruatum figuram esse rhetoricam illam, non poeticam.» Res constare uidetur, etiamsi L. M. id tantum dicere uoluit caesuram et exitum uersus ita sibi respondere, non item, si plures sint in eodem uersu caesurae, unam caesuram alteri. Atque Lucani opus si inspexerimus, inueniemus et hunc et illum uerborum collocandorum usum esse poetae huic. Videamus, quatenus Lucanus in caesuris posuerit similiter cadentia uel desinentia in libro quolibet operis sui. Liber septimus haec exhibet exempla:

u. 32 *extremum* | *tanti fructum* || *caperetis amoris*
u. 105 *uenturi* | *timor ipse mali* ||. *Fortissimus ille est*
u. 152 *per uarias* | *fortuna notas* || . . .
(u. 154 *quum peterent, totus uenientibus obstitit aether.*)
u. 168 *at tu quos scelerum superos* || . . . .
u. 172 *iam dubium, monstrisne deum* ||
u. 180 *ante oculos* | *uolitare suos* ||
u. 212 *attonitiqu(e)* | *omnes veluti* ||
u. 218 *Lentule, cum* | *prima, quae tum* | *fuit optima bello,*
u. 221 *at medii* | *robur belli*

* Caesuram semiseptenariam saepe incisione uersus semiternaria adiuuari non est, quod moneam.

u. 253 *in manibus | uestris. quantus | sit Caesar habetis.*
u. 269 *inuidia | regnate mea|.*

Item (332); 352; 400; 423; 435; 477; 497; 592; 629; 670; 682; 701; 774; 826; 862. Huc si addemus uersus illos non paucos, ubi in caesuris his collocatae sunt syllabae ultimae substantiui et adiectiui respondentis sed non similiter desinentis, apparebit uix casui tribuendam esse his locis exstantem conuenientiam. Tum uero uerba illa in caesuris similiter desinentia *sequi* et *mihi* ad lectionem codicum firmandam nonnihil ualere uidentur.

I 426

et docilis rector monstrati Belga couinni

Pro *monstrati* uerbo, quod codicum consensu commendatur, alii Gryphio astipulati praebent *rostrati* — inter quos Weise-Haskins —, alii secuti Heinsium — Francken alii — legunt *constrati*. *Monstrati* retinere nonne licet? Notandum enim est his uersibus de omnibus deinceps populis commemorari res, quibus conspicui notique sunt. Tum in promptu est arbitrari *monstratus* uerbum hic eodem sensu adhiberi quo Tacit. Germ. XXXI 10 *iamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati*. *M.* = »insignis», »conspicui».

I 431

. . . . . . *Batauique truces, quos aere recuruo*
stridentes acuere tubae; qua Cinga pererrat
gurgite, qua Rhodanus . . . . .

Bentley, quem sequitur Francken, u. 432 pro *qua* codicum coniecit *quos* (*Salga*). Francken quidem negat *pererrare* uerbum absolute adhiberi posse. Contra quem uix afferre licet testimonia lexicographorum, quum exemplum, quod solum habet de Forcellini (Auson. epigr. CVIII *De scabioso: tam diuersa locis uaga carnificina pererrat*), iusto incertius esse uideatur. Sed uerba composita sensu contiguo praedita si perscrutati erimus, de Franckeni sententia dubitare uix nefas esse uidebitur. In uerbis cum particula *per* compositis duo imprimis significationis genera inueniuntur, si quidem uerba sunt motum indicantia:

1. De motu porro et ad finem pergentis agitur.

Tum absolute adhiberi haec uerba rei consentaneum est. Ita usurpari uidemus: *percurro; perequito* (raro); *perflo* (raro); *perfluo; perfugio; perlabor; permano; permeo; perrepo; perrumpo; pertendo; pertineo; peruado; peruagor* (raro); *peruehor; peruenio; peruolo*, cetera.

2. De locis motu perlustrandis uisendisque agitur.

Transitiuorum uerborum tali sensu usurpatorum magna sane uis inuenitur, sed plurima uerba et absolute poni posse multa exempla testimonio sunt; uelut *percurso* (Liu. XXIII XLII 10 *totis finibus nostris p.*); *perfuro* (Val. Fl., Arg. VIII 382 sq.; Stat. Theb. IV 820 sqq.; Sil. Ital., Pun. IV 243); *perrepto* (Plaut., Rud. 223 *omnia iam circumcursaui atque omnibus perreptaui*); *persulto* (Liu. *persultare solo stabili, in agro*); *pertineo* (raro); *peruagor* (Plin. Epist. *cuius memoria per orbem terrarum gloria peruagata est*); *peruoluor* [Apul. VIII 14 *peruolui in suo sanguine;* Cic. De Oratore II XXXV 149 *ut in iis locis . . . peruoluatur animus* (sed recentiores edunt *reuoluatur*)]. Haec quidem uerba plerumque ita componuntur, ut cum particula *per* coniungatur uerbum frequenter mouendi. Atqui in promptu est arbitrari eandem uerbi compositi uim effici *per* particula cum uerbo incerte* uel diuerse mouendi coniuncta. — Cum loco hoc, quem tractamus, conferri potest IX 752 . . . *Nilumque bibens per rura uagantem;* I 390 sq. . . . *qui gurgite ductus | per tam multa suo. . .* H. l. tamen *gurgite* uerbo propter *suo* maior uis accedit. Cfr Verg. Georg. III 15 sq. . . . *tardis ingens ubi flexibus errat Mincius. Qua* de fluminum cursu saepe dicitur, cfr III 210 . . . *qua culta secat . . . Hermus:* III 271 *Colchorum qua rura secat ditissima Phasis.*

I 504

. . . . . . nullum iam languidus aevo
eualuit reuocare parens coniunxue maritum

---

* *Vagari* conferendum cum stirpe antiquorum Indorum quae est *ua-ñ-c: uáñcati* = »wackelt, wankt, geht krumm, schief». *Errare* fortasse e radice *er-s:* »sich bewegen»; cfr Graecorum *ὀρσο-, παλίν-ορσος;* Germanorum *irren.* De quibus uocibus uide P. Persson, Studien zur Lehre von der Wurzelerweiterung und Wurzelvariation p. 174 et p. 84.

fletibus, aut patrii, dubiae dum uota salutis
conciperent, tenuere lares.

Pro *conciperent*, quod exhibent codices omnes excepto D_1, Francken cum Bentleio et Oudendorpio recepit lectionem codicis D_1, *conciperet*, docens inter tot plurales uix potuisse immotam manere singularem formam. Quam corruptelae explicandae rationem mihi nullo modo probat. Duae, opinor, difficultates emendatoribus obstare uisae sunt, quominus lectio codicum quae est *conciperent* uera esse posset: una, quod incommode uidebatur particula hac, *aut*, induci sententia negatiua, cui cum antecedentibus nihil aliud commune esset quam sensus negatiuus; altera fuit, quod omisso obiecto absolutus uerbi *tenuere* usus tolerabilis non uidebatur. Sed ad illam dissoluendam satis erit afferre exempla Lucanea. qualia sunt

VIII 377 *non aries illis, non ulla est machina belli,*
aut fossas implere ualent, . . .
IX 928 . . . . . . *nec dat suspiria cursus*
uolneris, aut minimum patiuntur fata tacere.

Atque hanc tolli uidebimus, si inspexerimus tabulam eam uerborum absolute adhibitorum, quam uersui 126 libri VI affixi. Pauca eorum hic afferre libet:

II 495 *obstruitis campos fluuiisque arcere paratis*
I 407 . . . . *solus sua littora turbat*
Circius et tuta prohibet statione Monoeci
V 440 *multa quidem prohibent nocturno credere ponto*
III 132 *pacis ad exhaustae spolium non cogit egestas*
IX 928 . . . . *nec dat suspiria cursus*
uolneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
IX 1062 . . . . . *nec non his fallere uocibus audet.*

Subiecti loco auditur (*conciperent*) pluralis qualis est *homines* uel tale aliquid. Ita scriptoris animo nunc unusquisque (= *nullus*), nunc omnes obuersari uidentur; uelut

IV 40 . . . *nulli telum uibrare uacauit,*
dum labat et fixo firmat uestigia pilo,
dum scopulos stirpesque tenent atque hoste relicto
caedunt ense uiam.

Saepe numerus probe seruatur, uelut

IV 559 . . . . . . *nec quemquam dextra fefellit,*
cum feriat moriente manu.

IV 707 *quis conferre duces meminit? quis pendere causas?*
qua stetit inde, fauet;

Conspicua numerorum uariatio exstat

Plaut. Pseud. 134 *quorúm numquam quicquám quoiquam uenit*
ín mentem, ut recté faciant.

I 535

. . . . *stellaeque minores*
per uacuum solitae noctis decurrere tempus
in medium uenere diem,

Francken contra codices *discurrere* pro *decurrere*. Fortasse uenit in mentem

I 642 *aut hic errat, ait, nulla cum lege per aeuum*
mundus, et incerto discurrunt sidera motu,

Omnium primum quaerendum uidetur, quid significet *stellae minores*. Idem ualet, credo, quod *stellae, astra* omnino; opponitur enim sequentibus uerbis, quae sunt *Phoebe* (= luna) et *Titan* (= sol). Conferri possunt

Horat. Carm. I xii 44
. . . . *micat inter omnes*
Iulium sidus uelut inter ignes
luna minores.

Horat. Epod. XV 1
Nox erat, et caelo fulgebat Luna sereno
*inter minora * sidera.*

Atqui stellae uniuersae *discurrere* non admodum apte dicuntur, rectius uero planetae; cfr Sen. *septem sola discurrere, cetera haerere. Discurrere* igitur significare uidetur:

* *Stella* et *sidus* promiscue adhiberi posse ostendere uidentur loci inter se collati quales sunt

Horat. Carm. I xii 27 (de Castore et Polluce agitur)
. . . . . *quorum simul alba nautis*
stella refulsit,

Ouid. Metam. VIII 372
at gemini, nondum caelestia sidera, fratres,
ambo conspicui,

1. liberiorem motum (Sen.; cfr Lucan. IX 12); 2. motum insolitum uel instabilem (Luc. I 643). *Decurrere* uero non solum codicum concentu, sed etiam similibus exemplis de scriptoribus, qui res astronomicas tractarunt, sumptis se tuentur; uide Heitland Cl R XI I p. 41. H. l. tali huius uerbi usui subesse uidetur metaphora de cursu sumpta, qualis in stadio fieri solebat; *decurrere* = »den bestimmten Lauf durchmachen»; »die Bahn durchlaufen»; *per uacuum noctis tempus* apte dicitur, quum nec simul oriantur stellae nec simul aequore mergantur. *Decurrere* sensu consimili adhibetur Sen. Dial. I v 6 *scio omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere.*

Stat. Silu. I II 85

uidi ego et immiti cupidum decurrere campo
Hippomenen,

Sil. Ital. Pun. XV 159

diue tridentipotens, cuius maria ire per alta
ordimur, si iusta paro, decurrere classi
da, pater,

Transitiuum est

Sil. Ital. Pun. XVI 345

nec meminit, quantum campi decurrere restet.

Item Lucret. IV 1172

. . . . *sollicitet spatium decurrere amoris*

Pers. Sat. VI 61

qui prior is, cur me in decursu lampada poscis?

H. l. poeta ad cursum, *λαμπαδηδρομία* qui uocatur, spectat. Cum loco Lucaneo, quem tractamus, conferri potest item Lucret. IV 394

cum permensa suo sunt caelum corpore claro,

Sed aliunde quoque sumpta esse potest metaphora: de exercitu * uel omnino de multitudinis pompam celebrem facienti. Cfr nostrum »stjärnehären» et uersum illum celeberrimi poetae nostri »och tysta som Egyptens prester begynte stjernorna sitt tåg».

* Verg. Aen. XI 188

ter circum accensos cincti fulgentibus armis
decurrere rogos

I 543

qualem fugiente per ortus
sole Thyesteae noctem duxere Mycenae.

Ita codices omnes excepto G_1, qui *sensere* exhibet. Francken pro *duxere* ponendum censet *induxere*. Qui quidem, ut *duxere* uerbo fidem leuet, h. l. de alta caligine, non de longa nocte agi monet. Sed is huius loci sensus uerbo quod est *qualem* satis dilucide illustratur ita, ut uerbo *duxere* tempus respicienti non obscuretur. Suetice sic reddere hunc locum liceat: »Sa tjockt var det nattsvarta mörker, hvarunder M. en gang släpade sig fram.» Sed locus hic eam quoque admittit interpretandi rationem, quam indicauit Francken coniectura. Tali enim sensu, qualem in *induxere* uerbo inesse docet ille, adhiberi saepius *ducere* uerbum constat. Francken, nisi me fallo, reddit: ». . ., worin M. sich einhüllte». Atque cum loco illo Ouidiano, quem attulit, —

Ouid. Metam. I 263

et quaecunque fugant inductas flamina nubes —

conferre licet

Val. Flacc. Argon. I 307 . . . . . *si nubila duxerit aether.*

De coloribus saepissime *ducere* uerbum usurpatur; cfr ex. gr.

Lucan. VI 828 sqq.

. . . *caelo lucis ducente colorem* . . . *densas nox praestitit umbras.*

Cui loco cum hoc, quem tractamus, conspicua similitudo esse uidetur. Praeterea cfr

Ouid. Metam. III 485

. . . . . *uariis solet uua racemis*
ducere purpureum nondum matura colorem,

Ouid. Metam. VII 759

. . . . . *pariter pallescere glandes*
coepere ac longi pallorem ducere rami.

Iuuenal. Sat. II 81

uuaque conspecta liuorem ducit ab uua.

Pers. Sat. V 40

artificemque tuo ducit sub pollice uultum.

Utra interpretandi ratio praeferenda sit, non liquet.

I 600

et lotam paruo reuocant Almone Cybelen,

Sensus huius loci a doctis uiris multum uexati dilucidus erit. si contulerimus locos duos, quibus de eodem religionis cultu agitur; Haskins laudat

Stat. Silu. V I 223

. . . quaque Italo gemitus Almone Cybele
ponit, Addo

Val. Flacc. Argon. VIII 238

. . . . . graditurque oblita malorum.
Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
laetaque iam Cybele festaeque per oppida taedae,

De animi imprimis uigore reuocando hic nimirum agitur; exempla uerbi *reuocare* eodem sensu adhibiti haec inueni:

Sil. Ital. Pun. IV 12 *pila nouant . . . instaurant galeae coni decus . . . reuocantque noua fornace bipennis.* Hunc locum affert Francken.

Verg. Aen. I 235

. . . . reuocato a sanguine Teucri

De animo confirmando et recreando adhibetur

Lucan. I 353

. . . . pietas patriique penates
quamquam caede feras mentes animosque tumentes
frangunt; sed diro ferri reuocantur amore

Sil. Ital. Pun. XVI 13

. . . . reuocare animos . . . .

I 606

Arruns dispersos fulminis ignes
colligit et terrae maesto cum murmure condit
datque locis numen;

V. 608 codices VUG praebent *nomen*, quam lectionem receperunt Weise et Haskins. Hic quidem glossatori codicis U astipulatus ita *nomen* interpretatur, ut significare putet *bidental*, quod uerbum esse nomen peculiare iure negat Francken. *Numen* lectionem Francken fulcit allato exemplo, Sid. Apoll. IX 188 *numina quaerit Tuscus ad saeptum bidental.* Haskins

auctore Webero laudat Claudian., Rapt. Proserp. III 353 *inde timor numenque loco . . .;* id modo haud se scire ait, an non recte dicatur aliquis dare numen loco, quum ipsum locum numen habere par sit. Sed conferas uelim

Val. Flacc. Argon. III 428
utque metum numenque loco sacramque quietem
addidit,

I 678
quo feror, o Paean? qua me super aethera raptam
constituis terra?

Cum uerbis motum indicantibus saepe eodem fere sensu coniungi praepositiones, quae sunt *super, trans, per,* constat. Quare in structura illa *super aethera raptam* offendendum non esse uidetur. Damsté uero uersum 686 — *dubiam super aequora Syrtim arentemqae feror Libyen* — conferendum ratus reiecta codicum lectione proponit legendum *super aequora r.*, quod recepit Francken. Sed notaui a poetis Latinis adhibitas esse nonnumquam structuras quales sunt *trans aethera, super aethera, per aera,* quum fabulosa super terram itinera significanda essent; cfr ex. gr.

Verg. Aen. VII 64
huius apes summum densae — mirabile dictu —
stridore ingenti liquidum trans aethera uectae
obsedere apicem,

Ouid. Ex Ponto III II 63
quam leuibus uentis sub nube per aera uectam
creditur his Phoebe deposuisse locis. —

II 10
saecula iussa ferentem
fatorum immoto diuisit limite mundum

Francken pro *diuisit* coniecit *deuinxit* desiderans uerbum aliquod constituendi praecisa mutatione; conferenda enim esse antecedentia *fixit in aeternum causas* et *se quoque lege tenens.* Atqui notionem fixi satis testantur uerba *immoto* (= immobili) et *limite.* Tum uero *diuisit* uerbum exspectan-

dum esse apparebit, si considerauerimus, quae inter *limite* uerbum et uerba quae sunt *mundum saecula iussa ferentem* intercedat ratio. Metaphora nimirum subest de agricultura sumpta: Mundus limite fatorum diuisus secula diuersa ferre dicitur, ut ager segetem fert. Cfr Ouidianum illud (Metam. I 89) *aurea prima sata est aetas.* Ut igitur, agelli si limite diuisi sunt, nullo modo confunduntur, ita mundi bona et mala secula suo quodque temporis loco inueniuntur — fatorum limite dirempta, quominus temere confundantur. Cfr quae de mundi aeuo in antro incluso finguntur

Claudian. XXII 441 sqq.

hic habitant uario facies distincta metallo
saecula certa locis

Ceterum L. Bauer N Ph R 1898 p. 245 affert locum Dracontii, qui ut re dissimilis ita uerbis adeo huic Lucaneo loco similis uidetur, ut ad huius loci speciem — per incertam admodum horum uerborum memoriam — eum adumbratum esse uix nefas sit arbitrari. Is locus est

Dracont. Carm. prof. IX 115

non sunt commercia iuncta
mortibus et superis, **diuisit limite mundos**
imposito **natura parens**

Cfr Lucaneum (u. 7) *parens rerum* et Claudianeum (l. l.) *natura potens.*

II 84

si libet ulcisci deletae funera gentis,
hunc, Cimbri, seruate senem.

M_1 P_1 Z_1 exhibent *Cimbris;* Francken — post unum Cimbrum compellatum apostrophen *Cimbri, seruate* intolerabilem esse ratus — edit *Cimbris seruatō s.* Mitto Lucani in rebus prosodiacis summam diligentiam, qua -ō finale primae personae in uerbis * nusquam corripuit, quare nullo modo credi potest eum hanc syllabam finalem corripuisse. Dolendum sane est, quod nusquam nisi in exitu uersus talem imperatiui formam

---

* De qua re uide E. Trampe, De Lucani arte metrica p. 7.

posuit (*esto* II 513; VII 319; *sunto* I 226) Lucanus. Sed uideamus, sensus huius loci quorsum euadat recepta mutatione Franckeniana. Tum haec omnia misere frigebunt: »si Cimber Cimbrorum deletam gentem ulcisci uellet, senem Marium Cimbris seruaret ultorem«. Apparet ita personis uim accedere, certe detrahi uerbo, quod hic summam continet nimirum; nam de uita agitur Marii aut morte. Hoc suadet uox illa diuina: deletam gentem Cimbri si ulcisci uellent Marium — mirabile dictu — non occidendum esse, sed seruandum; ita enim trucidatum iri totum populum Romanum. Cfr uu. 85 sqq., 98 sqq. Tali antithesi nihil esse dignius uidetur Lucano, cui cognomen oratori epicorum indere licet. Accedit uero, quod Cimbrorum manibus compellandis efficitur obscurus et mirificus quidam color, qui ad haec omnia in tenebroso carcere gesta grauiter depingenda mirum quantum ualet.

II 126

te quoque neglectum uiolatae, Scaeuola, Vestae
ante ipsum penetrale deae semperque calentis
mactauere focos

Ita hunc locum constitutum uelim secundum lectionem codicum A B E (Z_1?). Ceteri codices exhibent (M in rasura) *dextrae* pro *Vestae*. Qui *dextrae* edunt, in lectione interpretanda multum desudant. Ac Hosius quidem 1892 interpungens *neglectum, uiolatae Scaeuola dextrae*, de cognomine primi illius Scaeuolae (Liu. II XXIII 1) se cogitare ostendit; 1905 edit *neglectum uiolatae, Scaeuola, dextrae*, melius, nisi me fallo. *Violatae dextrae* subiecti uicibus fungitur et obuersati esse uidentur uu. 120 sq. *innumeras inter carpentis membra coronae discessisse manus*. Sed duo obstant huic lectioni: 1) In uerbo *uiolatae* requiritur significatio qualis *pollutae* (u. 114), *scelestae*,* quam exemplis probari posse non credo. 2) *neglectum* uerbum molestum esse uidetur; nam *negligere* idem ualere solet quod non curare. Omnis uero difficultas tolli uidetur textu ita, ut proposuimus, constituto: Vesta uiolatur templo caede uiolato. Scaeuola neglectus esse Vestae, Vestae cordi non fu-

---

* V *uiolentae* exhibet, quod quin coniecturae librarii docti debeamus, uix dubium est.

isse iure dicitur, ut quem in aede sua caesum non curauerit dea. Cfr

Lucan. X 176

o sacris deuote senex, quodque arguit aetas,*
non neglecte deis,

Dii igitur inducuntur uitam eorum seruantes, quos non negligunt. Ceterum ad lectionem, quae est *neglectum*, fulciendam Heitland Cl R 1895 p. 150 perbene affert Cic. De deor. nat. III § 79, qui locus omnem prope dubitationem tollere uidetur. Attamen non prorsus negare audeo potuisse *Vestae* uerbum *deae* uerbo proximi uersus glossae loco additum irrepere e margine in finem uersus huius.

II 128

paruum sed fessa senectus
sanguinis effudit iugulo flammisque pepercit.

Francken, quippe quem structuram Lucani aetate inauditam recipere pigeat, Heinsium ac Bentleium *paulum* conicientes sequitur. Sed id modo si demonstrauerimus tolerabilem esse lectionem codicum, lectio difficilior retinenda erit. Probandum igitur primum nobis est usum uerbi *paruum* substantiuum ignotum Lucano non esse. Afferri possunt duo loci Lucanei:

IV 374

luxuries numquam paruo contenta creatis

IV 377

discite, quam paruo liceat producere uitam,

Restat, ut demonstremus adiectiua qualia sunt *paruus* (*minimus*), *exiguus* a Lucano cum substantiuis materialibus et quidem cum genetiuo partitiuo horum nominum coniungi. His utor exemplaribus:

1. *Exiguus:*

a) *exiguus sanguis;* cfr

IX 2

nec cinis exiguus tantum compescuit umbram

Ouid. Metam. VII 315 . . . *exiguo maculauit sanguine ferrum*
cfr Luc. IV 95 sq. *exiguam Cererem.*

---

* Hunc Scaeuolam pontificem maximum fuisse constat; quod quum ita sit, de Scaeuola idem ualere debuit, quod de Acoreo X 176 dixit Caesar per antithesin.

b) *exiguum sanguinis;* cfr

II 140

ille quod exiguum restabat sanguinis urbi
hausit

cfr Ouid. Metam. XIII 887 *intra temporis exiguum.*

2. *Minimus:*

a) *minimus sanguis;* casu fit, ut desint Lucanea exempla. sed cfr

Iuuenal. X 217

praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis
febre calet

b) *minimum sanguinis;* cfr

IX 504

minimumque tenens dux ipse liquoris

V 456

neuter longo se gurgite lassat
sed minimum terrae uicino littore nouit.

IV 557

minimumque in morte uirorum
mors uirtutis habet

3. *Paruus:*

a) *Paruus sanguis;* cfr

IV 239

si torrida paruus
uenit in ora cruor.

VI 157

non paruo sanguine Magni
iste dies ierit.

VI 226

maiora uiris e sanguine paruo
gaudia non faceret conspectum in Caesare uolnus.

Sil. Ital. Pun. XII 642

uultus, modo non paruo sudore madentis,

b) *paruum sanguinis;* locum illum, quem tractamus, afferre liceat.

Verisimile mihi uidetur Lucanum non omnia genera aeque adhibuisse, sed hic unum genus praetulisse, illic alterum — uelut plerumque superlatiuo genetiuum rectum adhibuisse ui-

detur, positiuum, qui est *paruus*, attributi instar posuisse —, sed satis demonstratum puto, quum nullum horum generum a Lucani sermone abhorreat, ne structuram quidem, quae est *paruum sanguinis*, eici par esse.

II 141

dumque nimis iam putria membra recidit,
excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
qua morbi duxere, manus.

Francken lectionem Augustini, *manum*, u. 143 recepit, ut euitaret absolutum uerborum, quae sunt *secuta est* et *duxere*, usum. Sed ne moneam omnino absolutum uerborum usum Lucano tam tritum et uulgatum esse, ut emendatorum patientia nimium abusus esse uideatur, mihi liceat afferre locos nonnullos, quibus ita Lucanus et eiusdem aeui poetae epici usi sunt utroque uerbo atque etiam eodem modo una ambo posuerunt; cfr

III 29

regesque silentum
permisere sequi.

IX 879

ueniant hostes, Caesarque **sequatur,**
qua *fugimus.*

Ouid. Metam. IV 436

nouique
qua sit iter, manes, Stygiam qua ducat ad urbem,
ignorant

Stat. Theb. IX 641 *qua semita ducit*

Liu. VIII xxxvi 9 *incessit deinde qua duxit praedae spes.*

Val. Flacc. Argon. III 147

pergunt rupta testudine fusi,
qua tenebrae campique ferunt.

Exemplum huic, quod tractamus, simillimum exstat Sil. Ital. Pun. XIV 10

ergo age, qua litui, qua ducunt bella, sequamur.

Val. Flacc. Argon. VII 348 *te ducente sequor;* cfr Lucan. II 287

sed quo fata trahunt, uirtus secura sequetur.

II 172

perque omnis truncos cum qua ceruice recisum
conueniat quaesisse caput.

Francken pro *qua* legendum censet *quo*, cui pronomini e uerbo, quod est *truncos*, substantiuum audiendum est. Quod Francken uulgatae infirmandae causa affirmauit in poetico sermone post praepositionem, praesertim unius syllabae, non solere statim poni substantiuum cum attributo, hoc argumento uti non licet, quum abundent exempla Lucanea ita comparata. De qua re uide L. Bauer N Ph R 1898 p. 247, qui ex libro nono sumptos tredecim locos collegit. Exempla ea Lucanea (IX 214; X 100), quibus Francken structuram, quam praebet, *caput ceruice recisum*, fulcire conatur, huc non pertinere uidentur. Rectius conferri possunt

II 111

rapuitque cruentus
uictor ab ignota uoltus ceruice recisos

Sil. Ital. Pun. XII 478

quum rapidi caput a ceruice recisum
portarent fluctus

Sed mutanda lectio codicum non esse uidetur.

II 193

uidit Fortuna colonos
Praenestina suos cunctos simul ense recepto
unius populum pereuntem tempore mortis.

P U m v *receptos* exhibent; pro *recepto(s)* codicum uulg. *recisos*. Pro *suos* (u. 194) Barth coniecit *suo*, quod recipit Francken. Illi credere uidentur Praenestinos ex urbe euocatos et a Sullanis circumdatos desperata salute in suos gladios procubuisse. Sed ita eam rem gestam esse nemo scriptorum antiquorum auctor est. Accedit, quod facile dispicimus, quibus rationibus adductus Lucanus *suos* uerbum adhibuerit: ei non est cordi honestam uirtutis extremae speciem adumbrare, sed docere neminem supplicio exceptum fuisse et per omnes populi partes passim peruagatam esse caedem adeo, ut ne Fortuna

quidem, potens et praesens quamuis sit dea, suos saltem (= Praenestinos) seruare potuerit, sed eos cunctos una caede misere trucidari uiderit. Obuersati esse uidentur loci quales Plaut. Most. 351

néc Salus nobís salutem iam ésse, sí cupiát, potest.

Ter. Ad. 761

ípsa si cupiát Salus
seruáre prorsus nón potest hanc fámiliam.

Cfr Cic. In Verr. III LVII 131; Cic. Pro Font. VI 11, quae exempla Lorentz in nota Plautino illi loci adiecta attulit.

II 228

nec plus uictoria Sullae
praestitit, inuisas penitus quam tollere partes.
hos alio, Fortuna, uocas, olimque potentes
concurrunt.

Francken, cui uulgata lectio inepta est, Oudendorpio astipulatus praebet u. 230 *orbemque petentes.* Sed ut hac coniectura recepta dilucidus sensus toti huic loco fit, ita non facile probant nobis docti illi uiri ita corruptelam natam esse, ut lectio apta et liquida praue abierit in multo difficiliorem non satis consimili litterarum ductu. Perperam dicit Francken ideo quoque corruptum uideri hunc locum, quod *olim* pro *dudum* numquam dixerit Lucanus. Alterum exstat exemplum, V 769

non olim casu pendemus ab uno?

Cfr Val. Flacc. Argon. I 53, 72; VI 60 sqq.; Sil. Ital. Pun. I 483; II 276 sqq.; VI 575 sq. Atque de hac uerbi, quod est *olim*, significatione paucis disputare liceat. Duo Lucanea exempla sunt, quae ad hanc rem illustrandam nonnihil ualeant,

II 242

omnibus expulsae terris olimque fugatae
uirtutis iam sola fides

IX 204

olim uera fides Sulla Marioque receptis
libertatis obit

Totius huius usus origo repetenda esse uidetur in ancipiti ui eiusmodi formarum uerbalium, quibus significatur et actio ipsa, quae praeterito tempore gesta est, et id quod actione ea efficitur, i. e. quidam praesentium rerum status. In quarum numero sunt participia perfecti et nonnullae perfecti et plusquamperfecti formae. Accedit uero, quod *olim* uocis exstare uidentur significationum gradus, quos alium ex alio deriuare [1] licet. Sunt hi gradus: a) »en gång i tiden», b) »förr i tiden», c) »för länge sedan». Ex hac significatione *olim* uocis cum illis formis uerbalibus coniunctae facile explicari uidetur is *olim* uerbi usus, quo idem fere significat quod *iamdudum*. Ex ea significatione, quam littera a) signauimus, deriuata esse uidetur ea, qua aliquid fieri solere indicatur; cfr similem graecae uocis, quae est *ποτέ*, usum.

Sed ad propositum redeamus. Non negauerim difficilem esse uulgatam lectionem explicatu. An h. l. Lucanus uocem, quae est *potentes*, sensu pleniore, ut ita dicam, adhibuit = »domini rerum»? Acute coniecit C. van Jever *soliumque petentes* (-(*s*)*oliũque* > *olimque; potens* et *petens* saepe confunduntur). —

II 249

an placuit ducibus scelerum populique furentis
cladibus immixtum ciuile absoluere bellum?

Francken recepit Hensianum *immixto*, lectionem codicum obscuram esse affirmans: esse enim pro compositionis lege nomina in caesura et exitu uersus similiter cadentia iungenda. Sed obscuritatem omnem tollere uidetur ipsius uerbi sensus. Haskins: »*immixtum* sc. *te*». Credit nimirum h. l. inueniri structuram, quales praecipue apud priscos Latinos exstant haud rara; velut [2]

Volo:

Plaut. Amph. 662

átque id se uolt éxperiri, súom abitum ut desíderem?

Plaut. Asin. 183

uólt placere sése amicae, uólt mihi, uolt pédisequae

---

[1] De qua re uide A. Weidner ad Iuuenal. X 143.
[2] Draeger Vgl. Synt. II pp. 380 sqq.: 397 sqq. non omnia uerba attulit.

Malo:

Lucan. III 82

gaudet tamen esse timori
tam magno populis et se non mallet amari.

Plaut. Asin. 810

émori
me málim, quam haec non eíus uxori índicem.

Postulo (= uolo):

Plaut. Asin. 189

núnc quia nihil habés, maledictis te éam ductare póstulas?

Cupio:

Cic. In Catilinam I II 4 *cupio, P. C., me esse clementem*

Martial. Epigr. II IV 7

matrem, quae cupit esse se sororem,
nec matrem iuuat esse nec sororem.

Studeo:

Plaut. Asin. 67

atque égo me id facere stúdeo, uolo amari á meis

Ter. Eun. prol. 1

si quísquamst, qui placére se studeát bonis

Placet:

Plaut. Amph. 309

quisquis homo húc profecto uénerit, pugnós edet.
So. *ápage, non placét me hoc noctis ésse; cenauí modo.*

Decretum est:

Plaut. Asin. 73

eos mé decretumst pérsequi morés patris.

Ubi infinitiuus passiui regitur uerbo uoluntatis, licet infinitiuo cum uerbo finito subiectum commune sit, acc. cum inf. saepe adhibetur.

Sed hoc loco, quem tractamus, structuram eiusmodi constituere uix licet; neque enim accusatiuus, qui subiecti uicibus fungitur, omitti solet, et structurae eius generis a Lucani sermonis usu abhorrere uidentur. Sed restat alia explicandi ratio, opinor. Quid si h. l. Graecorum more et exemplo esse

arbitremur duarum structurarum contaminationem, dico finitae et indefinitae? Velut graece post uerba, qualia sunt

Προσήκει:

Isocr. 108 A *προσήκει τοῖς μὲν ἄλλοις . . . στέργειν. σὲ δὲ . . . νομίζειν . . .*

Ἔξεστι:

Thucyd. IV xx *ἔξεστι ὑμῖν φίλους γενέσθαι*

Latine hoc usu uenit imprimis in uerbo, quod est

*Licet *:*

Cic. Pro Balbo 29 *si ciui Romano licet esse Gaditanum.*
Cic. Epist. ad Att. IV xvii
Caes. B. C. III i *is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret.*
Ouid. Heroid. XIV 64 . . . *mihi non licet esse piam . . .*
Quintil. Inst. Orat. IV iv 6 *procuratorem tibi esse non licet*

Do:

Horat. Sat. I iv 39

primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
excerpam numero.

H. l. *do = concedo;* cfr Horat. Sat. I x 5. Cfr notas, quas Krueger et Kiessling huic loco subdiderunt.

Verg. Aen. X 234

hanc genetrix faciem miserata refecit
et dedit esse deas aeuomque agitare sub undis.

Val. Flacc. Argon. II 225

adeo ingentis inimica uideri
diua dabat

Prodest:

Luc. II 256

quid tot durare per annos
profuit immunem corrupti moribus aeui?
hoc solum longae pretium uirtutis habebis?

---

* Vide Obermeier l. l. p. 44. Emory B. Lease Woelfflini Arch. XI 2 pp. 7 sq. *licet* uerbum tractauit: qui diuersa et partim huc non pertinentia collegisse uidetur.

Utile est:

Cic. De Off. III xx 81 . . . *ut Mario praeripere collegis et tribunis plebis popularem gratiam non ita turpe, consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, ualde utile esse uidebatur.*

Necesse est:

Liu. XXIX xxiii 9 . . . *ne sibi interesse certaminibus eorum armaque aut haec aut illa, abnuentem alteram societatem, sequi necesse sit.*

Gloria est:

Lucan. III 241

pro, quanta est gloria genti,
iniecisse manum fatis uitaque repletos,
quod superest, donasse deis!

Placet; incertus locus est
IX 379, ubi codices M_1 P exhibent
o **quibus** *una salus placuit mea signa* **secutos**
indomita ceruice mori,
Sed codices ceteri praebent *secutis.*

Eodem plane de genere quo hic locus, de quo disputamus, esse uidetur
II 394
haec placuit belli sedes, hinc summa mouentem
hostis in occursum sparsas extendere partis

Codices V U G *mouenti* exhibent. Sed alter locus alterum nimirum tuetur. Apparet in lectione codicum, quae est *immixtum*, acquiescere nobis licere.

II 396
umbrosis mediam qua collibus Appenninus
erigit Italiam, nullo quo uertice tellus
altius intumuit propiusque accessit Olympo.

Ita hunc locum constitutum uelim cum correctore codicis M (= m) et Cortio. Codices G C z et Seruius ad Aen. X 145 praebent *nulloque a*, quam lectionem receperunt Bentley, Hosius, Francken. Ceteri codices exhibere uidentur *nullo qua;* ita ediderunt Weise et Haskins.

Lectio, quae est *nulloque a*, quamquam diplomaticam rationem spectantibus habet, quo se ualde commendet, mihi quidem non placet, quod structura illa *nullo a uertice . . . intumuit* molestior uidetur. Quae Heitland (Cl R 1895 p. 193) quid significet, se intelligere iure negare uidetur. Ablatiuum desideramus; cfr II 428; IV 11 sq.; Val. Flacc. Argon. I 580 *quot in aethera surgit molibus;* Sil. Ital. Pun. I 238 *nullaque (terra) Palladia sese magis arbore tollit;* Sil. Ital. Pun. I 127 *quanta procul moles scopulis ad sidera tendit;* Stat. Theb. III 460 *mons erat audaci seductus in aera dorso.* Conferri potest Lucan. I 473 sq. *tauriferis ubi se Meuania campis explicat.* Lectio uero Weisei et Haskinsi ne illa quidem satis placet; ita enim uis accedit terrae, non monti. Sed de monte agi inde elucet, quod et pallo infra eodem modo cum maximis telluris (= orbis) fluuiis comparatur maximus Italiae amnis, Eridanus (= Padus), et haec tota quae continuatur descriptio Appennini montis est. Obstat etiam uix excusanda hypallage: *nullo qua uertice tellus* = »qua tellure **nulla** tellus uertice». Quas omnes difficultates ut euitaret, Damsté alteram proposuit interpretandi rationem: *qua* idem ualere contendit quod *qua* superioris uersus; ergo sic haec omnia reddenda: »in Campania, ubi Appennini latus umbrosis collibus (i. e. modice) assurgit, ubi ergo nullis arduis montis cacuminibus tellus eleuatur propiusue coelo minatur». Atqui uox, quae est *collis*, saepe usurpatur de monte quamuis alto. Cfr

Catull. LXI 1 *collis o Heliconii cultor*

In nota huic loco addita Riese laudat locum alterum,

Sil. Ital. Pun. III 415

At Pyrenaei frondosa cacumina montis
turbata Poenus terrarum pace petebat.
Pyrene celsa nimbosi uerticis arce
diuisos Celtis late prospectat Hiberos
atque aeterna tenet magnis diuortia terris.
nomen Bebrycia duxere a uirgine colles.

Lucan. I 688

nunc desuper Alpis
nubiferae colles atque aeriam Pyrenen
abripimur.

Sil. Ital. Pun. XIV 67 (de Aetna monte agitur)

aeternoque rigore
ardentes horrent scopuli, stat uertice celsi
collis hiems.

Atque *ambrosus* uocem de altitudine montis nihil detrahere apparet ex locis quales sunt

Sil. Ital. Pun. IV 741

summo
piniferum caelo miscens caput Appenninus

Sil. Ital. Pun. XV 174 (ubi *collis* uox inuenitur)

nemoroso uertice celsus
apparet collis, fugiuntque in nubila siluae
Pyrenes

ibid. XVII 640

frondosumque apicem subigens ad sidera mater
bellorum fera Pyrene

Interpretatio uero Damsteiana ideo improbanda est, quod illa efficitur dissolutum sane durum et quo diligentius in sensum eius interpretationis ui et arte rhetorica prorsus carentem inquisiueris, eo magis intolerabile. Accedit uero, quod totus hic locus de Italiae montibus et fluuiis scriptus summae exaggerationis speciem prae se fert, quo fit, ut Damsteianum sensum, si cum sequentibus uersibus contuleris, nihil magis frigeat.

Sed ad lectionem, quam amplexi sumus, tutandam satis erit monere Eridani fluuii descriptionem induci enuntiato relatiuo plane simili:

quoque magis se soluit tellus nullum in amnem
quo altius intumuit tellus nullo uertice

Simillimo modo continuatur descriptio: *mons* u. 399; *hunc . . . fluuium* u. 410. Ceterum moneo poetis Latinis in deliciis fuisse talem montis eius describendi rationem; cfr in transitu dictum

Sil. Ital. Pun. II 314

Alpibus aequatum attollens caput Appenninus.

II 405

in laeuum cecidere latus ueloxque Metaurus
Crustumiumque rapax et iuncto Sapis Isauro
Senaque et Adriacas qui uerberat Aufidus undas,
quoque magis nullum tellus se soluit in amnem,
Eridanus fractas deuoluit in aequora siluas
Hesperiamque exhaurit aquis.

Bentley et Weber uerba facientes de copula ante uerba, quae sunt *fractas deuoluit*, recte omissa et Francken coniciens *E.*, *fractas **qui** uoluit* arbitrari uidentur ei quoque uerbo, quod est *Eridanus*, *cecidere* uerbum pradicati instar addi oportere. Quod uix ita esse credo. Quid igitur? Eridanus amnis poetae mirus admodum uidetur, quare cum ceteris, quae hic enumerantur, fluminibus non eodem habendum eum esse ordine consentaneum est; cuius rei signa sunt uerba sane mira (*fractas deuoluit siluas* et *Hesperiam exhaurit aquis*) *Eridanus* uoci addita. Sequitur longus uersuum ordo, quibus mira sane narrantur magnitudinis exaggerandae causa.

II 435

longior Italia, donec confinia pontus
solueret incumbens terrasque repelleret aequor.

Francken coniecit u. 436 *reuelleret* his quidem uerbis additis: »Repellimus minantem aut inuadentem, quod h. l. alienum.» At primum monendum est sensu illo, quo uult Francken, uix usurpari *reuellere* uerbum; desideramus *diuellere*. Percommode uero *repelleret* = »cedere cogeret». Sed hic locus iam per se non temptandus coniecturis se tuetur manifesto testimonio Ouidiani loci, ad cuius speciem quin adumbratus sit uix dubium est, dico

Ouid. Metam. XV 291

dicitur ***Italiae, donec confinia pontus***
abstulit et media ***tellurem reppulit*** *unda.*

In promptu est arbitrari h. l. antithesi satis rhetorica inuerti quodammodo structuram, quae est »terra, tellus undas, aequor repellit».

Stat. Theb. IV 61

quaque obiacet alto
Isthmos et a terris maria inclinata repellit.

Haskins inter se comparauit Verg. Aen. III 414—419 et Claudian. Rapt. Proserp. I 140—144 (142—146 Koch).

II 506

mediis subrepit uinea muris

Verbum illud *mediis* impugnat, ut quod parum intelligatur; conicit *atque imis.* Sed et facile intelligitur lectio codicum — nam muri inter partes pugnantes medii sunt — et auxilio uocari possunt loci multi,

Verg. Aen. IX 142

quibus haec medii fiducia ualli
fossarumque morae, leti discrimina parua,
dant animos.

II 629

nec licet ad duros Martem conuertere Hiberos,
cum mediae iaceant immensis tractibus Alpes

IV 32

luce noua collem subito conscendere cursu,
qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam,
imperat

IV 18

medias dirimit tentoria gurges.

IX 301

sed iter mediis natura uetabat
Syrtibus

Translate adhibetur

I 322

ausum medias perrumpere milite leges

VI 99

nec medii dirimunt morbi uitamque necemque

II 541

nec magis hoc bellum, quam quod Catilina parauit
arsuras in tecta faces

Ita hunc locum constitutum uelim, quae lectio est codicum M V Z; lectionem codicum P U G mz, *cum*, amplectuntur Weise-Haskins et Francken, hic quidem *quom* edens. Heitland, qui *quod* genuinum esse arbitratur, hanc lectionem (Cl R 1895 p. 194) defendit allatis locis duobus, III 392; V 696 sq., quorum testimonium iusto leuius est. Sed altero loco iisdem fere uerbis Lucanus oratorem facit indicantem aliquid minus iusta uoce significari,

VII 739 *neque enim donare uocabo,*
quod sibi quisque dabit.

Ita P G M Z?; V U_2 *uacabo.*

II 570

Rheni gelidis quod fugit ab undis
Oceanumque uocans incerti stagna profundi
territa quaesitis ostendit terga Britannis?

Francken causam memorati Oceani desiderans pro uerbo, quod est *Oceanum*, coniecit *Oceani;* ante *uocans* distinctionis uirgulam posuit. Tum uero, ut euitaret dissolutum sane durum, *territa* uerbo affixit particulam *-que*, quam de uerbo sequenti, *qu-aesitis*, sumendam ostendit; tum uero pro *aesitis* legendum docet *excitis.*

Sed (mitto, quod ne ita quidem dilucidior fit causa commemorati Oceani) sic nimirum res se habet: increpat Pompeius Caesarem maledictis, primum quod Galli toties rebellassent, deinde quod a Germanis instantibus territus trans Rhenum fugisset et ne sinistra quidem in ripa subsistere ausus esset, postremum quod Britannis longo itinere quaesitis (cfr Verg. Aen. XI 387 sq.) pugnandi occasionem tandem nactus territa ostendisset terga, mare Oceanum metus et calamitatis causam esse simulans. Cum loco eo, quem tractamus, conferre licet

Claudian. XXIV 148

nec stetit Oceano remisque ingressa profundum
uincendos alio quaesiuit in orbe Britannos.

Caesar B. G. IV XXVIII—XXX tradit tempestate subito coorta partem nauium relatas esse, unde essent profectae, partem diuersas in partes delatas, alias aut aqua completas aut fractas

esse; reliquas in altum prouectas continentem petiisse. Qua re adductos Britannos rebellasse. Sic uero Pompeius rem exponit: Caesarem Britannos longo itinere quaesitos attonitum fugisse uim importuni maris Oceani causatum. Quid tamen Caesarem *Oceanum* uocasse? Nihil nisi *stagna incerti profundi* fretumque angustum, ubi ne tempestas quidem nauigantibus periculum facessere posset. Franckeni *excitis* frigidum; lectionis uero uulgatae *quaesitis* uerbis, quae sunt *territa ostendit terga*, oppositum ad irrisionem efficiendam aptissimum uidetur.

II 619

hinc illinc montes scopulosae rupis aperto
opposuit natura mari flatusque remouit,
ut tremulo starent contentae fune carinae.

Bentley acute pro *montes* uerbo coniecit *moles*, astipulante Franckeno. Hic quidem in genetiuo materiae offendendum ait; neque enim scopulis congestis fieri montem. Deinde ideo, quod rupes in mare prominens semper sit *scopulosa*, necessarium uideri legere *scruposae*. Atqui primum, licet concedamus ne rupibus scopulosis quidem congestis montem fieri, tamen omnia sana esse posse uidentur. Quid enim est, quin eodem de genere h. l. genetiuum esse arbitremur quo ex. gr. IV 460 *contorti uerticis undae;* VIII 474 *uiolenti uerticis amnem?* Deinde quod totiens una collocantur uerba, quae sunt *rupes* et *scopuli*, ideo tanto magis retinendam censeo lectionem *rupis scopulosae;* cfr IV 451

religatque catenas
rupis ab Illyricae scopulis

VIII 46

rupis in abruptae scopulos

Cfr locum Vergilianum, qui Lucano obuersatus h. l. esse uidetur,

Verg. Aen. I 162

hinc atque hinc uastae rupes geminique minantur
in caelum scopuli

Conferenda ea, quae paullo infra de nauibus a tempestatum ui tutis dicuntur. *Mons* et *scopulus* una collocantur Lucan. VI 266 sq.

II 650

at numquam patiens pacis longaeque quietis
armorum

Haec lectio uidetur esse codicum U A B (Hosius, qui codices A B hic illic tantum asciuit, U laudat); ceteri pro *pacis* exhibent *segnis*. *Pacis* edunt Weise-Haskins et Hosius; *segnis* Oudendorp praefert. Francken quidem legendum proponit *pacis segnisque quietis;* excidisse enim arbitratur post uerbum *patiens pacis* uersumque per uerbum, quod est *longae*, esse suppletum. Sed quomodo lectio illa, *longae segnisque quietis*, cum lectione omnium codicum, quae est *longaeque quietis*, coniungi potest? Mihiquidem uerisimile uidetur post *patiens* uerbum [*paciēs* in archetypo scriptum; cfr I 198 *lacialis* (U); I 315 *sociabunt* in *saciabunt* corr. (G); I 338 *prouintia* (G); I 408 *Cirthius* — pro *Circius* — (V G); I 535 *laciale* (U); I 611 *impaciens* (U); I 602 *ticii* (U); II 125 *tribunitio* (V U A G); II 369 *conuitia* (A); III 127 *tribunitiae* (M A V U G); III 371 pro *tutius* M exhibet *tucius* (M_1 *tuscius*); IV 336 T pro *sitiens* praebet *sciens* (< **siciens*?).] excidere potuisse, post correctum esse uersum iusto breuiorem recepto in contextum uerbo *segnis*, quod restitutum erat e glossa *segniciei* (cfr Hosius Fleckeisens Jahrb. 1893 p. 341) in margine addita. Sed libenter concedo hanc explicationem nimis artificiosam esse iure dici posse. Fortasse non prorsus inutile erit quaerere, soleantne poetae Latini uerba, quae sunt *pax* et *quies*, componere. Cfr

Lucan. I 249

pax alta per omnes
et tranquilla quies populos

VI 282

accendit pax ipsa loci mouitque furorem
Pompeiana quies

Stat. Theb. III 447

hinc pacis tranquilla mouent, atque inde pudori
foeda quies, flectique noua dulcedine pugnae
difficiles populi

Hosius l. l. affert

Martial. Epigr. lib. IV 1

turba grauis paci placidaeque inimica quieti

Bellum et *quies* sibi opponuntur

IX 294

iamque actu belli non doctas ferre quietem
constituit mentes serieque agitare laborum

II 675

incessitque fretum rapidi super Hellesponti

Francken propter uerborum ordinem *super* praepositione *fretum* uocem regi non posse ratus coniecit *incessitque fretum rapido super Hellesponto.* Bentley qua solet diuinandi sollertia *incessitque pedes* ... Sed propter praepositionem emendato hoc loco opus esse non uidetur; quum enim post casum simplicem posita apud Lucanum *super* praepositio nonnumquam adhibeatur, in hac structura prorsus non offendendum, praesertim quum uerba, quae sunt *rapidi Hellesponti*, *fretum* uerbo[1] attributi instar addita sint. Mitto, quod nec *fretum* uocem eodem prorsus quo *mare* sensu adhiberi solet Lucanus nec *incedere* uerbo transitiue uti. Sed lectio Franckeni quominus uera esse possit, aliud obstat idque in Lucani casuum usu positum. *Super* enim locali sensu adhibitum nusquam regit ablatiuum, sed ubique[2] accusatiuum; cfr I 678, 686; II 386, 679, 726; III 164, 705; IV 310, 333, 431; V 251; VI 356; VII 520, 838; VIII 1, 164, 226, 818; IX 15.

II 700

quam retinere uetas, liceat sibi perdere saltem
Italiam.

Francken *perdere* uerbum de regione dici posse negans coniecit *prodere* neque enim uerbum, quod est *perdere*, usurpari posse de re stabili et manenti. Sed conferas uelim locum huic, de quo disputamus, simillime constitutum, Sil. Ital. Pun. I 422 (Baueri ed.)

quum siluam occursu uenantum perdidit ... aper ...

[1] De qua re uide E. Trampe, qui De re metrica p. 67 exempla Lucanea praepositionum insolitum in modum postpositarum attulit.

[2] Obermeier, qui l. l. pp. 26 sq. sub titulo »mit acc. u. abl.» huius praepositionis usum Lucaneum commemorauit, haec tantum habet: »Super mit acc. räumlich ist bei Luc. ungemein häufig.« Inter exempla unum falso numero attulit, IV 233 pro 333; quo loco praue pro *sedere* forma praebet *sedent*, quod metro repugnat.

Claudian. V 394

ut fera quae nuper montes amisit auitos
altorumque exul nemorum damnatur . . .

Verba, quae sunt *retinere* et *perdere*, sibi opponuntur eodem quo hic sensu

Claudian. XVIII 97

retinent mores, quod perdidit aetas.

Perdere idem fere quod *amittere* ualere uidetur

Lucan. IV 279

deserat hic feruor mentes, cadat impetus amens:
perdant uelle mori.

VII 36

sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.

VII 191

Emathiis quid perdat nescius aruis.

VIII 611

Phariamque ablatus in alnum
perdiderat iam iura sui.

Sensu *perdere* uerbi proprio adhibetur II 190;

X 169

discit opes Caesar spoliati perdere mundi

VI 224

perdiderat uultum rabies

Perdere = uitiare

X 167

externa nec perdidit aera terra

Perdere = »nequidquam facere«, »sine ullo usu dimittere«, »abuti« cfr III 394, 706; V 423; VI 197; VIII 53; IX 569; X 370 sq., 505 sq. —

III 111

melius, quod plura iubere
erubuit, quam Roma pati.

Francken, cui post *melius* ellipsis uerborum, quae sunt *actum est*, inaudita intolerandaque, *quod* uero molestum et languidum est, uerbi *quod* loco ponit *di;* uerbo *quod* interpretandi causa inserto expulsam esse *di* uocem; sic ergo edit: *melius di! plura iubere erubuit . . .* Sed lectionem ueram quo-

minus Franckenum inuenisse credamus, obstat uerborum inter se ordo; ubicunque enim hanc inuenimus formulam — ubique in primo uersu, nisi me fallo — ordo * solemnis est *di melius*, metri scilicet causa; cfr

Ouid. Heroid. XVII 30
di melius, similis non fuit ille tui.
Lucan. II 537
di melius, belli tulimus quod damna priores
Lucan. III 93
di melius, quod non Latias eous in oras
nunc furor incubuit
Horat. Sat. II vi 4
di melius fecere. bene est. nil amplius oro.
Plaut. Bacch. 626
Pi. *di mélius faciant.* Mn. *périi.*
Plaut. Cas. 813
Ol. *dí melius faciánt. sed crepuit óstium: exitúr foras.*

Di meliora:

Plaut. Pseud. 315
Ba. *dí meliora fáxint.* Ps. *fac hoc, quod té rogamus, Bállio.*
Tibull. III iv 1
di meliora ferant
Ouid. Metam. VII 37
di meliora uelint

Di bene (fecerunt), quod; in primo uersu

Horat. Sat. I iv 17
di bene fecerunt, . . . quod . . .
Stat. Theb. II 170
di bene quod tales stirpemque animosque uenitis
Stat. Theb. IX 296
di bene, quod . . .
Claudian. XV 346
di bene, quod

---

* Fortasse conferenda sunt, quae *de exsecrandi formulis* — quamquam h. l. nulla est exsecratio — attulit E. Kellerhoff, qui in studiis G. Studemundi *de collocatione uerborum* uol. II pp. 49 sqq. disputauit; cfr quae de locutione, quae est *di bene uortant*, dicuntur, quod ad haec uerba collocandi usum sollemnem.

Nullum denique inueni locum, quo alius horum uerborum esset ordo. Sed quin recte se habeat lectio codicum, dubium esse uix poterit, si contuleris
Iuuenal. Sat. II 137

interea tormentum ingens nubentibus haeret,
quod nequeant parere et partu retinere maritos.
sed melius, quod nil animis in corpora iuris
natura indulget

III 112

tamen exit in iram:
uiribus an possint obsistere iura, per unum
libertas experta uirum.

Francken corruptelam ait se suspicari atque hanc esse credere ueram lectionem *tamen exiit iram.* Haskins omnia uerba lectionis uulgatae uno tenore legenda esse ostendit. Sed equidem, Haskinsianam explicationem ueram esse ut credam, animum inducere non possum. Mihi enim *exit in iram libertas* nihil aliud est quam illud *libertas irascitur* aut *libertas irae contigua uidetur;* cfr exemplum Plinianum ab Haskinsio allatum. Melior esse uidetur Hosii explicandi ratio — nam pro explicatione est interpunctio —, qua uerba, quae sunt *uiribus . . . uirum*, epexegeseos instar adduntur dissolute. Molesta admodum talis copulatio, nec tamen ab Lucani sermonis usu prorsus abhorrere uidetur; plqpf.
V 720

Nymphaeumque tenent; nudas aquilonibus undas
succedens boreae iam portum fecerat auster.

Epexegesis idem tempus exhibet atque sententia antecedens
IX 37

boreaque urguente carinas
Creta fugit; Dictaea legit cedentibus undis
littora.

Francken quidem parum * satisfacit, quum corruptelam constituat, ne obiectum omittatur, credo. Sed sic fortasse hunc locum edere licet:

---

* E. Trampe l. l. p. 10 docet Lucanum perfecti formas quales *petiit* (huic generi *exciit* formam ascribendam quis non uidet?) non nisi contractas usur-

tamen excit in iram
uiribus an possint obsistere iura per unum
libertas experta uirum.

Excire in *exire* facile mutari potuit, quum seris latinitatis temporibus eodem modo efferrentur ea uerba. Atque in singulis Lucanei operis libris manu scriptis confusa exstant *x* et *sc* saepius, uelut VI 11 *exiri* (pro *exciri*) B; III 333 *exeptus* (C) pro *exceptus;* inuersis uicibus scribitur V 514 *excesis* (B); *excessis* (P_1) pro *exesis;* VI 313 *exciri* (V_1 R g) pro *exire;* VII 780 *descisset* (P_1 U m) pro *desisset.* Si lectio ea, quam proponi posse dixi, uera est, translate adhibetur *excire* uerbum ita, ut VII 11

ut uidet ad nullos exciri posse tumultus
in pugnam generum

Alio sensu (= uppbåda) VII 361

innumeraeque urbes, quantas in proelia numquam,
exciuere manus

Excitare illo sensu adhibetur II 324

iuuenisque calorem
excitat in nimios belli ciuilis amores.

Hoc sensu (= uppbåda) IV 207

famulas scelerata ad proelia dextras
excitat

III 125

certe uiolata potestas
inuenit ista deos. Crassumque in bella secutae
saeua tribuniciae uouerunt proelia dirae.

Guyet. cui astipulatur Francken, coniecit *mouerunt;* Bersmann et Grotius praebent *nouerunt.* Damsté (quem Guyetianam lectionem recepisse falso affirmat Francken) exhibet *mo-*

passe. Hoc si uerum est, id quod peruoluto Lucani opere mihi persuasum habeo, coniectura Franckeni uera esse uix potest.

uere in; Bentley audacius *nouere piacula dirae.* Atque ad coniecturam Bersmanni — *nouere* — fulciendam afferri posse dixerit quispiam

IX 442

nulla portus tangente carina
nouit opes.

Sed h. l. ut alias ubique *noscere* dicitur de eo, cui obtingit aliquid uel boni uel mali. Restat, ut de lectione Franckeni — *mouere* = attulerunt — pauca dicamus. Vario admodum sensu adhiberi uidemus uerbum, quod est *mouere.* Hae imprimis significationes inueniuntur:

1. *Mouere* = »sätta i rörelse».

De rebus:

a) de corporis agitur affectionibus; uelut *mouere pituitae cursus assiduos* (Cels.); *mouere lacrimas* (Lucan. IX 49 sq.); *m. alci nauseam* (Fulg.); *m. alci bilem* (Plaut.)

b) de animi affectibus agitur; translate = »framkalla»; uelut *furorem mouere* (Lucan. VI 165. 282; IX 642); *spem mouere ausis* (Val. Fl. Argon. V 661); *soporem impauidum mouet uictoria* (Sil. Ital. Pun. VIII 257); *mouere alci alqd; alci* =

α) = in alquo; velut *mouere alci iram* (Liu.); *m. alci curam* (Claudian. XXIV 237 sq.)

β) = in alqm; uelut *inuidiam mouere alci* (Sen.) = »inuidiam conflare alci».

c) neque hoc neque illud significatur, sed structurae originem inde facile deducas; uelut

Ouid. Metam. XIV 669

Helene non pluribus esset
sollicitata procis, nec quae Lapitheia mouit
proelia

Hippodamiae uenusta forma libidinem *mouit*, unde fluxerunt proelia illa.

Lucan. III 121

certamen mouistis, opes, . . .

id. IV 211

addidit ira ferox moturas proelia uoces

Si adest tali loco datiuus personae, plerumque significat eum, cum cuius incommodo ita efficitur aliquid; uelut

Horat. Carm. I xv 10

quanta moues funera Dardanae
genti!

Ea res *bellum mouere* dicitur, cuius causa pugnatur; hoc contra Oudendorpium moneo (cfr Haskins ad hunc uersum).

De personis; *mouere* = excire (»mobilisera»):

Lucan. III 170

secum casuras in proelia mouerat urbes.

id. X 383

nec opes populorum et regna mouemus

Val. Flacc. Argon. VI 728

Scythiamque in bella mouerem.

Claudian. V 149

extremos ultra uolitat gens si qua Britannos,
mota mihi

Quisquis haec exempla inspexerit, Damstei coniecturam sanam esse non posse uidebit.

Contigua esse uidentur exempla ea, ubi de proelio usurpatum *mouere* uerbum idem significare uidetur quod ciere, miscere, committere; uelut

Lucan. I 119

bellumque mouere
permissum ducibus.

id. X 418

ciuilia bella satelles
mouit

id. X 470

corriperet famulos, quo bellum auctore mouerent.

id. X 315

quis te tam lene fluentem
moturum totas uiolenti gurgitis iras,
Nile, putet?

Cfr Sil. Ital. Pun. II 430 (*certamina anhela mouere*); id. IV 372 (*bella furibunda m.*); id. IV 779 (*bella moues*).

2. *Mouere* = »förflytta»; uelut

castra mouere; mouere fata (Lucan. VI 605) = mutare; *mouere* = moliri:

II 505

moturas ingentia pondera turres

Mouere = admouere:

V 457

mouitque Ceraunia nautis.

Ex hoc eius uerbi usu deducendus usus, qualis in his exemplis inuenitur:

Sil. Ital. XIII 96

Fuluius infaustam Campana ad moenia clausis
portabat famam miserisque extrema mouebat.

Propert. IV XXII 32 (Lucianus Mueller)

exitium nato matre mouente suo

Val. Flacc. Argon. II 101

quocirca struit illa nefas Lemnoque merenti
exitium furiale mouet

id. V 291

uerum alios tunc ipsa dolos, alia orsa mouebo

id. V 296

talia tunc hominum superi pro laude mouebant.

Claudian. Rapt. Proserp. I 32

Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras
proelia moturus superis

Claudian. XV 474

pendula ceu paruis moturae bella colonis
ingenti clangore grues aestiua relinquunt
Thracia

Unum exemplum huius generis habet Lucanus

I 631

uix fas, superi, quaecumque mouetis,
prodere me populis

Sed haec quidem hactenus. Quo uero diligentius in usum poeticum huius uerbi, quod est *mouere*, inquisiuerimus, eo magis nobis persuasum erit eum huius uerbi usum, quem hic usurpauit Guyet (Francken), non sanum esse. Restat lectio-

nem codicum ut retineamus, quam — id quod uidit Haskins — fulciunt loci, quales sunt

Ouid. Metam. XIII 88

sortemque meam uouistis, Achiui,
et uestrae ualuere preces

Quod exemplum solum sufficiat; addit Haskins

Horat. Epist. I IV 8

quid uoueat dulci nutricula maius alumno?

Addi possunt

Ouid. Ex Ponto I VI 46

magna tamen spes est in bonitate dei.
qui ne difficilis mihi sit, Graecine, precare,
confer et in uotum tu quoque uerba meum.
inque Tomitana iaceam tumulatus harena,
si te non nobis ista uouere liquet.

Lucan. X 397 (quod ad rem consimilis locus)

aude: superi tot uota Catonum
Brutorumque tibi tribuent.

id. VIII 827

quid tibi, saeua, precer pro tanto crimine, tellus?

cfr Martial. Epigr. I XX 3; XCIX 16.

Sic uertendum est: »Es waren die Rachegöttinnen eines Tribuns, die dem Crassus ins Feld folgend auf ihn die Unglücksschlachten herabwünschten.«

III 159

quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
quo te Fabricius regni non uendidit auro,

Pro *regni* codices exceptis M P exhibent *regi*. Francken in nota coniecit *Brennus* (pro *Pyrrhus*), sic rationem reddens: Pyrrhum non fuisse diuitem; deinde si per uerba quae sunt *Pyrrhus* et *regi* eadem persona significetur, eodem pertinente utroque uersu corrumpi anaphoram per octo membra continuatam et mere relatiuam sententiam annecti misere languentem. Ad diuersa igitur pertinere debere uersus illos (159, 160) aut posteriorem esse eximendum. Sed uersum 160 si epexegetice subiungimus priori, omnia, credo, sana esse possunt. In quo

uersu mihi quidem Lucaneus sane color inesse uidetur commemorato auro, quo patriam se uenditurum negarat Fabricius, quodque tamen Romanorum uenerat in potestatem. In uerbis uero, quae sunt *fuga trepidante*, nihil esse, quominus haec de Pyrrho rege dici credamus, ostendit locus qualis est Claudian. XXVI 128

plus fuga laudatur Pyrrhi quam uincla Iugurthae.

III 181

exhausit totas quamuis delectus Athenas,
exiguae Phoebea tenent naualia puppes,
tresque petunt ueram credi Salamina carinae.

Naualia saepe idem significare quod *portus* uocem constat. *Phoebea naualia* dici oportet de eo portu, in quem conuenire iussae sunt naues sociorum. Nam sententiarum inter se nexum si considerauerimus, sententia primaria, quid fiat, commemorari par esse uidebimus. Tum uero *tenent naualia puppes* idem significat quod in portum Ph. dirigunt naues cursum. Consimilem huius uerbi sensum usurpant exempla nonnulla, uelut II 392

interea trepido descendens agmine Magnus
moenia Dardanii tenuit Campana coloni.

III 755

naualia paucae
praecipiti tenuere fuga.

IV 583

namque rates audax Lilybaeo littore soluit
Curio nec forti uelis aquilone recepto
inter semirutas magnae Carthaginis arces
et Clupeam tenuit stationis littora notae

V 719

praetereunt frustra temptati littora Lissi
Nymphaeumque tenent

VIII 463 (de quo loco uide Haskinsi notam)

nec tenuit gratum nocturno lumine montem
infimaque Aegypti pugnaci littora uelo
uix tetigit

Cfr Liu. I I *ab Sicilia classe ad Laurentem agrum tenuisse.*

Phoebea adiectiuo nonne significatur portus * Actiacus? Alias enim inter se confunduntur interdum priora et posteriora, uelut

I 679

uideo Pangaea niuosis
cana iugis latosque Haemi sub rupe Philippos.

Tum enumerantur *gurges Lagaei Nili, Syrtis, Libye, Pyrene.*

IX 271

credet ab Emathiis primos fugisse Philippos.

Ut hic confunditur Pharsalica pugna cum Philippica, ita in promptu est arbitrari per antecipationem alterius belli ciuilis Actium sedem fuisse classis imperatoris uicti dici. Recte de prolepsi historica uerba facit Francken.

III 490

nunc aries suspenso fortior ictu
incussus densi compagem soluere muri
temptat et impositis unum subducere saxis.

V. 492 Withof, cui astipulantur Schrader et Francken, pro *unum* coniecit *fundum*. Fundamentum ait Fr. subtrahendum, non unum saxum, quod sane non suffecturum fuisse etiamsi molare. Bothe uero pro *unum* praebet *imum*. Sed numquam auditum est ariete fundamenta moenium subrui solita. Quod uectibus efficiebant antiqui (cfr *saxa uectibus summouere; uectibus infima saxa turris conuellere*, Caes.), quae instrumenta h. l. significantur uerbo quod est *ferro*, u. 489

moliri nunc ima parant et uertere ferro
moenia

Ei uersui quodammodo opponuntur uerba ea, quae tractamus. Ariete incusso muri ipsius compagine soluta conabantur unum saxum subducere impositis (= »skjuta bresch»), quae falcibus muralibus tum diuellerentur. Unus locus coniecturam Bothei fortasse fulcire uidebitur,

Verg. Aen. XII 705

quique alta tenebant
moenia quique imos pulsabant ariete muros

---

* Merito Actii portum Phoebeum dici apparet ex loco qualis est Sil. Ital. Pun. XV 302 *Phoebi uidit citus Actia templa.*

Sed h. l. suo iure adhibetur adiectiuum, quod est *imos*, oppositum *alta* adiectiuo, quum sibi opponendi sint defensores in muro stantes et hostes urbem humi oppugnantes.

III 523

posito borea pacemque tenentibus austris
seruatum bello iacuit mare

Francken legendum proponit *prostratum* impugnata lectione codicum, quae est *seruatum*, »quasi interire possit mare». Sed hoc saepius significat *seruare:* »curare, ne ab aliis praeripiatur alci alqd», et *seruari:* »aliis negatum destinatum esse alci». Helm in censendo priore uolumine editionis Franckenianae haec habet: ». . . aufgespart nur für den Krieg; Lucan liebt das *seruare* in diesem Sinne, cfr IV 717; V 3.» In uolumine altero censendo addidit VI 802 sqq.; VIII 661; IX 140, 214; X 431. Addi potest

V 812

non iuuat in toto corpus iactare cubili:
seruatur pars illa tori.

III 563

tunc quaecumque ratis tentauit robora Bruti,
ictu uicta suo percussae capta cohaesit

Percuss(a)e M Z p; *percussa è* P; *percussaque* (G); *percussa et* O. Hanc lectionem praebet uulgata. In qua molesta sunt participia illa tria se excipientia (*uicta*, *percussa*, *capta*), quorum quid significet medium illud *percussa* intelligere non possum. Francken quidem, cui *capta* uerbum ineptum est, conicit *percussae impacta cohaesit*. Sed huic lectioni paullo longiori et languidiori multo praestat lectio Hosiana codicibus rite commendata. Comparantur naues et copiae acie confligentes: naues Phocaicae ictu suo uictae sunt — mirum sane; cui enim hoc umquam accidit pugnanti? — quin etiam captae sunt cohaerendo cum percussa — quis umquam a percusso captus est? — Hac antithesi nihil Lucano dignius esse omnes libenter concessuros credo. Restat, ut de ratione grammatices pauca dicamus. *Cohaerere* datiuum regens Lucani temporibus tritum

et uulgatum fuisse uidetur; cfr Ouid. Metam. IV 553 . . . *scopuloque affixa cohaesit;* id. V 125 . . . *lignoque cohaesit.* Dixerit quispiam *capta* uerbo significetur necesse esse actionem antecedentem illi, quae *cohaesit* uerbo continetur. Minime uero; cfr

II 536

iam tetigit sanguis pollutos Caesaris enses.

V 60

cingere Pellaeo pressos diademate crinis.

Alia exempla sub IX 406 et X 106 collecta attulimus.

IV 101

subitisque frementis
uerticibus contorsit aquas et reppulit aestus
fortior oceani.

Heinsius — his uersibus miram fluminum effusorum uim exaggerari a Lucano ratus — legit *aestum*, quasi fluminibus aestum maris oceani repulsum tradatur. Sed quisquis uersibus * 110 sqq. uiderit precari poetam, ut in perpetuum maneant mala illa, quae ante narrata sunt, is Heinsium egregie fefellisse opinionem intelliget. Dicere uoluit poeta multo grauius terras diluuio afflictas esse, quod prae aestu maris defluere amnes non possent, sed in terras redire cogerentur. Nec tam infitiandum est in loci huius structura inesse difficultatem quandam. Quam ut euitet, Francken legendum proponit *aestu*, mira narrans de *palus* uerbo subiecti uicibus fungente. Sed dissolui omnem difficultatem credo, si *aestus oceani* subiectum esse constituamus et uerbi *contorsit* et *reppulit* uerbi; *contorquere* uerbi significatio aptissima est, quam cum amnium aquis refluentibus coniungamus; cfr IV 460, ubi *contortus* uerbum de undis repulsis adhibetur. Vide praeterea exempla eiusmodi, quae plurima attulit Georges.

---

* *sic, o summe parens mundi, sic, sorte secunda*
aequorei rector, facias, Neptune tridentis,
et tu perpetuis impendas aera nimbis,
tu remeare uetes, quoscumque emiseris aestus.
non habeant amnes decliuem ad littora cursum,
sed pelagi referantur aquis

IV 222

trahimur sub nomine pacis.

Francken minus recte, ut uidetur, *sed* omissum esse ait: tum haec: »Sententia: his bellis non id agitur ut uiuamus, compellimur (ad mortem), dum foedus iactatur.» Verbis, quae proxime antecedunt, *non hoc ciuilia bella, ut uiuamus agunt*, hoc dicere uoluit Petreius: »uita nihili esse debet, quum ciuile bellum suspectum sit non ideo, ut uita seruaretur sed ut honos ac libertas.» Quaerendum igitur esse ait, num pace facienda bene libertati consuleretur. Tum apparere pacem istam nihil aliud esse quam seruitutem pulcro nomine ornatam. Verba, quae sunt *non hoc . . . agunt*, ad superiora pertinent ergo, uerbis, quae sunt *trahimur s. n. p.*, pars altera orationis Petrei inducitur. *Trahimur* = »widerstandslos werden wir (in die Knechtschaft) dahingeschleppt ; cfr Liu. XXI XIII *potius quam coniuges ac liberos rapi trahique sinatis.*

IV 737

leti fortuna propinqui
tradiderat fatis iuuenem, bellumque trahebat
auctorem ciuile suum.

VII 345

unaque gentes
hora trahit.

IV 232

nunc toto fatorum ignarus in orbe
Magne, paras acies mundique extrema tenentis
sollicitas reges, quum forsan foedere nostro
iam tibi sit promissa — salus.

In hoc loco interpretando haeserunt — sine causa, credo — docti uiri. Burmann quidem, cui nullus probabilis efficitur sensus, proponit *non tibi sit promissa salus* aut *quum forsan funere nostro iam t. s. p. s.*: »ut pro pignore uitae Pompei Petreius interficeretur«. Francken haec habet: »Sententia haec requiritur: 'Pudorem abiecistis (232), eo res adducta est, ut reges orientis parati sint ad opem ferendam, nos foedere nostro eum subuertamus, s. eius salus sit proiecta, concussa, subuersa, prolapsa. Num '*praecisa*'? *Promissa* non infrequenti errore

PROMISA fere = *PRECISA*.» Sed quomodo *sollicitas reges* de regibus ad succurrendum paratiores dictum sit, nemo ostendere poterit. Haskins sic: »*nunc toto*] sarcastic; while P. is exerting himself in the East, his safety has been bargained for by us.» *Safety* illud paullo obscurius; fortasse Haskins dicere uoluit superuacaneam fuisse Pompei curam et laborem, quippe quem optimi sui milites Hispanienses conciliando per foedus Caesarem iam seruassent. Ita si quis hunc locum accipiat, monendum est omnino [1] ironiam, praesertim eiusmodi cum omnino a Lucani scribendi colore tum ab huius loci tam aperta indignatione profecto abhorrere. Sed nisi egregie me fallit opinio, sic se habet res: Petreius inuidiae mouendae causa: »Quid iam, Pompei, toto orbe frustra copias paras p r o i m p e r i o t u o etiamnunc pugnaturus? Nam hic nos cum Caesare foedus fecimus, quo tibi omnibus rebus amissis nihil promissum est nisi — u i t a.» [2] His uerbis, quibus prope per ἀπροσδόκητον foede depingitur militum ignaua proditio, nihil efficacius.

[1] Acerbior ironia eaque uero Lucanea est
IX 1107
hilaresque nefas spectare cruentum
— o bona libertas — quum Caesar lugeat, audent.

[2] *Mors* et *salus* sibi opponuntur
IV 509
o utinam, quo plus habeat mors unica famae,
promittant ueniam, iubeant sperare salutem.
V 340
numquam sic cura deorum
se premet, ut uestrae morti vestraeque saluti
fata uacent
IX 885
ingens meritum maiusque salute
contulit, in letum uires.
Salus = *uita:* cfr
IV 219
ducibus quoque uita petita est?
numquam nostra salus pretium mercesque nefandae
proditionis erit
IV 346
at nunc causa mihi est orandae sola salutis
dignum donanda, Caesar, te credere uita.
IX 392
at qui sponsore salutis
miles eget capiturque animae dulcedine, uadat
Loco illi quem tractamus, respondet profecto locus quidam libri nono, quo Caesar praedicat, quid Pompeio uicto paraturus fuisset; de caede Pompei haec dicit:
IX 1066
unica belli
praemia ciuilis, uictis donare salutem, (cfr IV 347)
perdidimus.

IV 355

hoc hostibus unum
quod uincas, ignosce tuis.

Haskins sic interpretatur: »pardon thy enemies this solitary crime — that thou art conqueror». Sed unde coniunctiuus, qui est *uincas?* Cfr enim

III 744 *ueniam misero concede parenti*
Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.

VIII 748

quod iam compositum uiolat manus hospita bustum,
da ueniam.

Obliquus coniunctiuus est

II 519

poenarum extremum ciui, quod castra secutus
sit patriae Magnumque ducem totumque senatum,
ignosci.

Interpretatione igitur Haskinsiana coniunctiuus non explicatur. Neque hic modus metri necessitate excusari potest; nam metrum aeque admittit formam, qualis est *uicisti.* Francken quidem: »*uincas*, nempe *si resistamus.*» Sed paullo infra Afranius suos uictos nuncupat,

IV 362

hoc petimus, uictos ne tecum uincere cogas.

Vincere non necessario significat signis collatis uictoriam reportare; cfr

IV 531

temptauere prius suspenso uincere bello
foederibus

Coniunctiuum nonne ita explicare licet, ut totam hanc sententiam indefinite dici constituamus? »Det enda man har skyldighet att förlåta sina fiender är nederlaget». Sed dixerit quispiam in hac definiti hominis allocutione in indefinitum loquendi modum temere transeundum non esse; sed eadem ratione tales locutiones se excipiunt

IV 485

fuga uulla patet, stant undique nostris
intenti ciues iugulis: decernite letum,
et metus omnis abest; cupias, quodcumque necesse est.

Adnectitur generalis sententia breuis explicandi causa VII 726

nunc tibi uera fides quaesiti, Magne, fauoris
contigit ac fructus: felix se nescit amari.

V 259

quippe ipsa metus exsoluerat audax
turba suos. quidquid multis peccatur, inultum est.

V 289

Rheni mihi Caesar in undis
dux erat, hic socius. facinus quos inquinat aequat.

Conferendus esse uidetur locus unus Val. Flacc. Argon. VI 23

abstineant alienae sanguine pugnae.

. . . .

ignotis quid opus concurrere nec quos
oderis?

Quod ad rem cum loco illo, quem tractamus, conferre licet VII 312

uincat, quicumque necesse
non putat in uictos saeuum destringere ferrum
quique suos ciues, quod signa aduersa tulerunt,
non credit fecisse nefas.

IV 364

flectitur atque usus belli poenamque remittit.

De interpretatione ambigunt uiri docti. Atque Haskins quidem, cui consentire uidetur Heitland — cfr introductionis § 47 d) — figuram, quae hendiadys uocatur, constituit sic uertens »the penalty of further military service«. Quae opinio quin uera sit, obstant et Lucani sermonis usus, quum illam figuram modo non plane uitasse uideatur,* et quod alia interpretatio illa multo melior inueniri potest. Quae enim poena iis remissa sit, ex uersibus antecedentibus elucet; uu. 346 sq.

at nunc causa mihi est orandae sola salutis
dignum donanda, Caesar, te credere uita.

Memoria tenebant nempe, quomodo priores bellorum ciuilium auctores fidem aemulo praestitam ulti essent. *Poena* uox interdum caedem aduersariorum significat, uelut

* Sed cfr II 539 *supplicium poenamque repetat.*

II 198

tot simul infesto iuuenes occumbere leto

. . . .

numquam poena fuit.

II 511

scit Caesar poenamque peti ueniamque timeri.

Verba, quae sunt *usum belli* (sic), Francken significare ait morem militiae, non recte, credo, quandoquidem apud Lucanum *usus* uerbum numquam pro uerbo, quod est *mos* (= »sedvänja«), usurpari uidetur. Recte, nisi me fallo, interpretatus est Haskins: *usus belli* = militiam: cfr IX 905 *caeli seruantur in usus*, quae uerba scholiasta recte explicat: *ad uolatum* (minus feliciter Oudendorp: *in usum Iouis*). Ergo sic uertere licet: »Caesar lässt sowohl die Todesstrafe als den Kriegsdienst nach.« Atque in uerborum, quae sunt *usum belli* et *poenam*, inuerso inter se ordine offendere non debemus. Eius figurae, quae est hysteron-proteron, exempla rara admodum sunt, sed afferre licet

IV 130

utque habuit ripas Sicoris camposque reliquit

IV 503

abscidit nostrae multum fors inuida laudi

Ita cum codicibus M U G Z (P *fros* < *fors*) Korte et Hosius. Alii codices ceteros secuti edunt *sors*. Minuscula, uelut *laudi* : *laudis*, hic non curo. Heitland Cl R 1895 p. 195 a pro *sors* lectione esse ait locos hos: II 45; VII 122; IX 211; sed illi loci ad lectionem, quae est *sors*, muniendam non plus ualent quam ceteri, ubicumque sors uerbum inuenitur. Agitur nimirum de inuidia fortunae; quae cum personae instar saepe fingatur, multo aptius quam *sors* inuidens inducitur. *Fors* idem quod *fortuna*, eadem de stirpe deducta uox, saepe significare uidetur. Atque deam Romanis fuisse *Fortem* elucet e locis, quales sunt

Ouid. Fast. VI 775

ite, deam laeti Fortem celebrate, Quirites,

Ceterum conferre licet priscam illam locutionem *fors fortuna* (*forte fortuna*). Quae utrum exemplis bimembris dissoluti

adnumeranda esset, an unam deam significaret, ambegerunt docti uiri; uide H. Sjögren De particulis copulatiuis apud Plautum et Terentium (Upsaliae 1900) pp. 11 sq.

Addo quod his uersibus (cfr 492 sq., 496 sq.) ad superos et Fortunam omnia referri uidentur. Inuidia fortunae a poetis saepe iactatur; cfr

I 70

inuida fatorum series

I 82

nec gentibus ullis
commodat in populum terrae pelagique potentem
inuidiam Fortuna suam.

Phaedr., Fab. Aesop. V vi 5

superum uoluntas fauit; sed fato inuido
carbonem, ut aiunt, pro thesauro inuenimus.

Quod ad sententiam cum loco, quem tractamus, conferri potest

VI 158

peterem felicior umbras
Caesaris in uoltu; testem hunc fortuna negauit.

IV 724

aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis
ludit et iratas incerta prouocat umbra
obliquusque caput uanas serpentis in auras
effusae tuto comprendit guttura morsu
letiferam citra saniem

Bentley pro *iratas* et *auras* coniecit *irritans* et *iras*, quae sibi conueniunt saltem. Minime uero satisfacit Francken priore loco codicum lectionem retinendo, altero deteriorem partem palmaris coniecturae Bentleianae recipiendo. Molesta enim euadit repetitio. Nulla profecto mutatione opus est. Ichneumonis uidelicet interest serpentem tutos in orbes collectam ad morsum elici, nam ita demum se ad ictum porrigendo guttur offert callido hosti. Serpens igitur uiolento impetu mobilem hostis caudam irrito ictu petit et nulla re obstante longius

euecta, priusquam guttur retrahere licet, comprehenditur. *Vanas in auras* idem significare uidetur quod *uacuas in auras;* cfr

Ouid. Metam. VI 398

uacuas emisit in auras.

Val. Flacc. Argon. IV 302

ecce iterum uacuas agit inconsulta per auras
brachia

Val. Flacc. Argon. VII 528 (de angue dicitur)

incipit inde sequi et uacuas furit ore per auras

Stat. Theb. V 559

uacuasque impellit in auras

Uno certe loco inueni structuram, quae est *uanae aurae.*

Claudian. De raptu Proserp. I 96

an forte iacentes
ignauosque putas, quod non Cyclopia tela
stringimus aut uanas tonitru deludimus auras?

In *effusae* uerbo certo offendere non debemus, quum *se effundere* saepius idem significare uideatur quod germanum illud »ausfallen»; cfr

Val. Flacc. Argon. I 700

saeuit atrox Pelias inimicaque uertice ab alto
uela uidet nec qua se ardens effundere possit.

De pugile adhibetur hoc uerbum simillimo quo Lucaneo hoc loco sensu:

id. IV 304

dat genibus iunctis latus effusumque secutus
haud reuocare gradum patitur

Stat. Theb. VI 777

ecce iterum immodice uenientem eludit et exit
sponte ruens mersusque humeris: effunditur ille
in caput

IV 805

has urbi miserae uestro de sanguine poenas
ferre datis, luitis iugulo sic arma, potentes.
felix Roma quidem ciuisque habitura beatos,

si libertatis superis tam cura placeret,
quam uindicta placet.

Pro *ferre* (u. 806) V_1 exhibet *nempe*, quod minutum; pro *potentes* M_1Z_1 *potentis*. Haskins, Francken, Samse (l. l. pp. 2 sqq.) post uersum 806 interrogationis signum ponunt. *Potentes* uerbum Sullas, Marios, Pompeios Caesaris significare arbitrantur nimirum; sed h. l. imprimis Caesarem respici ait Samse. »Debuitne Curio pro uobis mori, ut urbi Romae poenas daretis? Utinam ipsi occidissetis!» (Samse p. 4 inf.) Sed ita priores cum sequentibus uersibus nullo nexu coniunguntur. Atque hic requiritur sensus: »Iis, qui armis libertatem urbi eripuerunt, poenae necessario dandae. Sed utinam libertas* seruanda diis potius curae esset.» Locus ille Taciteus (Hist. I III) huc non pertinet. Saepenumero Lucanus de uindicta libertatis egit, plerumque uoces, quae sunt *uindicta* et *poena* coniungens, uelut V 206

uindicis an gladii facinus poenasque furorum
regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos
ut peragat fortuna, taces?

X 338

dignatur uiles isto quoque sanguine dextras,
quo fortuna parat uictos perfundere patres,
poenaque ciuilis belli, uindicta senatus
paene data est famulo.

Poena et *uindicta* alia in re commemoranda coniuncta inueniuntur

X 525

procul absit, ut ista
uindictae sit summa tuae. non ipse tyrannus
sufficit in poenas, nen omnis regia Lagi

Ita demum totus hic locus, quem tractamus, intelligi poterit; nam libenter concedo me ignorare, quid sibi uelit Samse sic explicans: ipsi, libertatis euersori moriendum fuisse; — tamen, inquit, dii libertatem destruere malunt quam seruare».

* Perbene scholiasta commenti Bernensis explicat: felix esset Roma, si dii sic libertatem tuerentur integram, quemadmodum uindicant laesam».

Postremum Curionem merito in numero eorum, qui armorum (bellorum ciuilium) auctores fuerint, haberi facile erit demonstrare; cfr enim u. 801 *arma dabas populis* et u. 802 *gener atque socer bello concurrere iussi.* *Potens* * uocari nimirum potest, de quo hoc dicitur (uu. 823 sq.)

cui tanta potestas
concessa est? emere omnes, hic uendidit urbem.

V 107

saepe dedit sedem totas mutantibus urbes

Sic cum codicibus Weise-Haskins et Hosius (1905); Hosius antea (1892) cum uulgata *notas;* Francken Burmanni insistens uestigiis *tutas.* Nulla mutatione ne minima quidem opus esse uidetur. Atque Samse l. l. p. 52 acute sic explicat: »Apollo iustis hominibus, cum sedem mutarent, totas urbes dedit. Heitland Cl R a. 1894 p. 37 b, a. 1895 p. 195 a *totas* idem significare ait quod *prorsus*, ad quam significationem probandam affert VIII 217, 336; IX 495. Sed nonne praestat cum R. Helmo (W kl Ph 1896 n:o 36) uertere «fortbewegen», quam primigeniam huius uerbi uim fuisse credi potest. *Moueo: mūto:* cfr Persson Wurzelerweiterung p. 156; ubi aliam explicationem admitti posse ostendit (*ū* < *oi̯*). Quam rationem amplectitur Lindsay Grammat. p. 285, uim dandi inhaerere arbitratus. Stolz uero et Prellwitz *ἀμεύω* et *moueo* (**meu̯-*) cognata esse ostendunt. Pauca exempla, in quibus uim primigeniam agnoscere licet, affero,

Plaut. Amph. 273

nám neque se septéntriones quóquam in caelo cómmouent,
néque se luna quóquam mutat átque uti exortást semel,

Horat. Carm. secul. 39

iussa pars mutare laris et urbem
sospite cursu

Vergil. Georg. II 49

tamen haec quoque, si quis
inserat aut scrobibus mandet mutata subactis

---

* Hic *miserae* et *potentes* non prorsus opponuntur sibi; quare exemplum, quod attulit Samse p. 3 ima, Sen. Thy. 35 *miser ex potente fiat, ex misero potens*, huc non pertinet.

Ouid. Ex Pont. I I 79

inque locum Scythico uacuum mutabor ab arcu

id. IV XIV 7

nulla mihi cura est, terra quo muter ab ista

Fortasse

Lucan. VI 44

castraque Caesareo circumdatus aggere mutat.

Quod ad sensum conferendus uidetur locus quidem Lucaneus

III 340

post translatas exustae Phocidos arces.

V 285

usque adeo soli ciuilibus armis
nescimus, cuius sceleris sit maxima merces?
nil actum est bellis, si nondum comperit istas
omnia posse manus. nec fas nec uincula iuris
hoc audere uetant. Rheni mihi Caesar in undis
dux erat, hic socius.

Francken u. 287 pro *istas* recepit Guyeti coniecturam *ista*. Omnium primum quaerendum, quaenam manus respiciantur. Satis erit legentes relegare ad uersus proxime antecedentes et sequentes; haec inueniuntur

V 242

paene fideles
per tot bella manus satiatae sanguine tandem
destituere ducem

V 252

tot raptis truncus manibus gladioque relictus
paene suo

V 272

imus in omne nefas manibus ferroque nocentes

V 355

sperantis omnia dextras
exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.

Desiderari uidetur subiectum uerbi *comperit;* Haskins audiendum esse ait *miles*, nullo, ut uidetur, iure. Coniecturae Guyetianae, qua recepta subiectum aptum redditur sententiae,

id obstat, quod euadit structura a Lucani sermonis usu aliena. neque enim cum uerbis sentiendi infinitiuus omisso accusatiuo subiecti uicibus fungenti apud Lucanum usquam inuenitur coniunctus. — Exempla huius usus Ouidiana collegit Richard C. Manning [Harvard Studies IV (a. 1893) pp. 117 sqq.] opusculo, quod inscribitur On the omission of the subject-accusative of the infinitive in Ovid. Exempla, quae huc pertineant, pauca sunt: unum uerbi *comperio* attulit exemplum, Ouid. Ex Ponto III II 82, *consortes urbis comperit esse suae*, quod falso allatum esse apparet. Neque pluris faciendum alterum, Ars amator. II 171, *nec puto nec sensi tunicam laniasse;* antecedunt enim u. 169 parenthesi tantum a uersu 171 dirempta haec: *me memini iratum dominae turbasse capillos:* unde facile auditur subiectum, quod est *me*, altero illo loco. Sed recte se habet tertium, Metam. VI 601, *ut sensit tetigisse domum Philomela nefandam.* Item Trist. IV I 46 *nec iratos sentit habere deos.* Incertius sed tamen uerum esse uidetur Metam. XI 74 *crus ubi commisit uolucris sensitque teneri* . . . — Accedit, quod recepta coniectura Guyetiana significatio inepta redditur uerbo, quod est *posse* = *ualere;* desideratur uero uerbum idem significans quod *audere, sustinere.* Haec significatio eius uerbi, quod est *posse*, Lucano in deliciis esse uidetur; cfr

VIII 439

ire per ista
si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem
Thessalia placare potes.

VIII 591

attonitoque metu nec quoquam auertere uisus
nec Magnum spectare potest.

IX 134

nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum
littore Niliaco socerum iam stare putaui.

Alia igitur interpretatio huius loci quaerenda est. Atque mihiquidem, quo magis totum hunc locum contemplor, eo magis inclinat animus, ut *comperit* metri causa pro *comperisti* (⏑ ⏑ –) positum existimem. Neque apte secunda persona breuioris perfecti poni potest, quod ita uersus euadat spondiacus. Talem personarum molestam permutationem paucis locis exstare uidemus, uelut

VII 417

populosque ducesque
constituit campis, per quos tibi, Roma, ruenti
ostendat, quam magna cadas. quo latius orbem
possedit, citius per prospera fata cucurrit.
omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis

H. l. facere non posse uidemur, quin Postgateo astipulemur docenti subiecti instar ubique positum esse *Roma* uerbum atque ad personam uariandam multum ualuisse formas secundae personae metro non aptas. P. quidem conferendum esse ostendit alterum eiusdem libri locum, VII 722 [1] (nonne 718—20?); unde legentes relegat ad uu. 96 sq. et 109. Loco eo, quem tractamus, *Caesar* (cfr u. 289) subiectum est; eadem ratione e sequentibus uersibus subiectum audiendum est

IX 269

quis uestras ulla putet esse nocentes
caede manus? credet faciles sibi terga dedisse,
credet ab Emathiis primos fugisse Philippis.
uadite securi: meruistis iudice uitam
Caesare.

V 371

nil magis adsuetas sceleri quam perdere mentes
atque perire tenet.

Ita cum codicibus M A G N Z Hosius et Francken. Weise-Haskins cum V U P B *timet*, quod ad Caesarem referre necesse est. De interpretatione W. et H. dissentiunt. W. quidem priori uerbo obiectum esse ait *mentes* uerbum, quod alteri uerbo (*perire*) subiectum sit. H. uero Caesarem, ne amissis ueteranis periret, timuisse arbitratur. Utrique interpretationi obstat collocatio *quam* uerbi molesta; praeterea Weiseianae structura uerbi timendi durior, quam quae tolerari possit. Multo uero aptior lectio altera, in qua agnoscitur structura illa adsuetum (astrictum) [2] tenere alqm. Ad rem conferendus uersus unus, qui paullo supra legitur, u. 363

---

[1] Sed ii loci, quibus per apostrophen compellantur homines, de quibus traditur aliquid, seorsum tractandi uidentur: cfr V 804 sqq.

[2] Cfr VIII 271 *me pulsum leuiore manu fortuna tenebit?*

tiro rudis, specta poenas et disce ferire,
disce mori.

Perdere h. l. absolute positum; qui eius uerbi usus antithesi commendatur.

V 382

populoque precanti
scilicet indulgens summo dictator honori
contigit et laetos fecit se consule fastos.

Ita cum Cortio constitutum hunc locum uelim secundum lectionem M Z codicum, pro qua facere uidentur V B G codices *summo honore* exhibentes. Haskins (Weise), Hosius, Francken U X codices secuti edunt *summum honorem.* Atque Heitland quidem (Cl R a. 1894 p. 36) ad structuram, quam supra commendauimus, muniendam affert
Iuuenal. Sat. VIII 28

rarus
ciuis et egregius patriae contingis ouanti

Eius loci iocularem exaggerationem huic loco, quem tractamus, plane deesse ait Francken; iniuria, nisi prorsus fallor. Id tantum interest, quod in his uerbis acerba quaedam irrisio inest. Sed et simili exaggeratione sequentia quoque uerba conspicua sunt (*laetos fecit se consule fastos* = »ornamento erat Caesar fastis, non contra iis illustrabatur», Francken), neque ita inuersus rerum solitus ordo et nexus a Lucani poetico colore abhorrere uidetur; cfr
VI 311

nec sancto caruisset uita Catone.

V 472

multosque per annos
dilectus tibi, Magne, socer post pignora tanta
sanguinis infausti, sobolem mortemque nepotis,
te nisi Niliaca propius non uidit harena.

Francken Cortio astipulatus edit

post pignora tanta
sanguinis, infaustam sobolem mortemque nepotis,

Quod sic explicat: »postquam pignora iuncta sunt, filia infausto omine sublata est nepos mortuus«. Haskins: ». . . after so close a pledge of kinship, after the birth of the scion of a hapless stock and thy(?) grandchilds death«, . . . Sed ualde metuo, haec ut recte interpretati sint; nam primum post iunctam affinitatem (a. 59) inter se conuenisse constat Caesarem et Pompeium Lucae (a. 56); deinde hic desideramus unum temporis terminum, non plures. Agitur nimirum de rupta consanguinitatis fide amissis pigneribus (= filia et nepote: uxore et filio). Hoc sensu *pignora* uerbum adhibitum inuenitur

VII 347

qui sobolem ac thalamos desertaque pignora quaerit.

Quod ad sensum conferre licet locum unum,

IX 1048

non mixti foedera tangunt
te generis? nec nata iubet maerere neposque?

Quamquam de duorum morte h. l. uerba facit poeta, tamen unum tantum nanciscimur terminum; nam filiam (Iuliam) et nepotem Caesaris iisdem prope diebus mortuos esse constat. Cfr Velleius Paterculus Hist. Rom. II XLVII 2 . . . . *quum medium iam ex inuidia potentiae male cohaerentis inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus Iulia, uxor Magni, decessit: atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna filius quoque paruus Pompei, Iulia natus, intra breue spatium obiit.* Vertendum censeo sic: »Seitdem die Unterpfänder der keinen Segen bringenden Verwandtschaft hingerafft worden waren, d. h. nach dem Tode der Tochter und des Enkels.« Ad hunc *post* uerbi usum firmandum afferre licet

IX 108

turpe mori est post te solo non posse dolore.

IX 242

nullum, Magne, ducem, te solum in bella secutus
post te fata sequor

Ante simili modo adhibitum exstat

VI 144

castrorum in plebe merebat
ante feras Rhodani gentes

Cum structura ea, quae est *post sobolem* (*mortuam*) *mortemque nepotis*, conferre licet

IX 51

nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
priuignique fugam tenuit

Sed dixerit quispiam *pignora sanguinis infausti* significare non posse *p. consanguinitatis infaustae*. Durum esse concedo, attamen defendi posse opinor; Iulia I 111 sqq. dicitur *pignora iuncti sanguinis* abstulisse ad manes. Ceterum *sanguis* in numero earum uocum esse uidetur, quas sensu uario adhibuit Lucanus, saepe solito pleniore; cfr

VII 179

cunctas sanguinis umbras
ante oculos uolitare suos.

V 516

haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
sed sterili iunco cannaque intexta palustri
et latus inuersa nudum munita phaselo.

Francken haec habet: »*Intexta casa iunco* significat eam, cuius parietes ad rimas implendas aut alio consilio ostendunt hic illic texturas iunci, quod non uoluit poeta; *pertextam* locus requirit . . . Verum est *intectam*. Iuxta ponuntur tectum et parietes (latus).» Hoc mihi non probat: opponuntur sibi *domus robore fulta* (= cuius parietes lignei sunt) et haec, cui pro parietibus erant texturae iunceae; hoc indicatur particula, quae est *sed*. Tum de uno latere agitur, ubi nullus erat paries, ubi pro porta *nudum latus*, pro postibus phaselus erat inuersa. Et haec luce clariora nec non structura ea, quae est *domus iunco cannaque intexta*, in huius loci sensum bene quadrat. Auxilio uocari possunt loci, quales sunt

Verg. Aen. X 784

per linea terga tribusque
transit intextum tauris opus

Sil. Ital. Pun. XIII 109

latera intextus stellatis axibus agger

id. XV 425

aurata puerum rapiebat ad aethera penna
per nubes aquila, intexto librata uolatu.

Claudian. XXXI 2

nitibus intexti gremio successerat antri

V 571

nubibus et caelo notus est; si murmura ponti
consulimus, cori ueniet mare.

Haec lectio omnium codicum (excepto V, qui *feriet* exhibet) uera mihi esse uidetur. Omnes uero * editores Bersmannum secuti edunt *uerrent*. Licet concedamus illam Bersmanni correctionem, quod ad palaeographicam rationem pertinet, esse lenissimam et perbonum reddere sensum, non ideo, quomodo in difficilius mutari potuerit codicum lectio, satis apparet. Accedit, quod structura ea, quae est *cori ueniet mare*, poetarum de his rebus scribendi rationi prorsus non aliena uidetur; cfr

II 454

quum mare possidet auster
flatibus horrisonis, hunc aequora tota sequuntur

II 459

nubiferoque polus quum cesserit euro
uindicat unda notum.

V 605

nec perfert pontum boreas ad saxa suumque
in fluctus cori frangit mare

Et genetiuus uenti et uerbum mouendi de mari adhibitum inueniuntur loco nostro huic simillimo,

Valer. Flacc. Argon. II 505

non fluctibus aequis
nubiferi uenit unda noti

Alia exempla uerborum mouendi tali sensu adhibitorum sunt

Lucan. III 549

ut, quotiens aestus zephyris eurisque repugnat,
huc abeunt fluctus, illo mare

---

* Haskins *uerrunt* praebet.

V 613

Aegaeas transit in undas
Tyrrhenum, sonat Ionio uagus Adria ponto.

Vertendum esse credo: ». . . . . so werden wir ein vom Nordwestwinde beherrschtes Meer herrollen hören .

VI 43

non desunt campi, non desunt pabula Magno,
castraque Caesareo circumdatus aggere mutat.
flumina tot cursus illic exorta fatigant,
illic mersa suos

Hic Francken nescioquid profert de fluminibus uel fontibus[1] obsaepiendis; arbitratur aut ante uersum 45 aliquid excidisse aut sic emendandum esse hunc uersum: *flumina quod cursus illic exorsa fatigant* . . . Aliter enim, quid sibi uelit illud *mersa*, non uidere, nisi significet aquas contentas. *Suos* = Caesarianos. Sed primum ne uno quidem uerbo indicat Lucanus uersibus sequentibus Pompeianos aquae inopia laborasse; de pabulo tantum equorum ungulis obtrito, de equorum strage, de aëre fontibusque aliaque aqua cadauerum tabe infectis loquitur. Accedit, quod tam putide et obscure rem illam expressisse Lucanum uix credi potest. Omnis uero difficultas dissoluetur, si haec de magno aggeris[2] circuitu dicta esse putemus. Sequentibus enim uersibus (46—60) de operis magnitudine Lucano solita dicuntur. Tot flumina aggere tota continebantur, ut, quotiens opus erat, castra commode moueri possent. *Mergi* adhiberi uidemus saepius de flumine in maiorem amnem uel in mare influenti; Georges de Plinio sumptum affert *mergi in Euphratem.* Quid significet *cursus fatigant suos flumina* apparet ex loco Lucaneo,

V 466

neuter longo se gurgite lassat

Cfr ceterum Hosius B Ph W a. 1898 p. 424.

---

[1] Voluit, ut uidetur, poeta: »non minus obsaepiendo fontes Caesar laborabat, quam Pompeius carendo.»

[2] Haskins: »*flumina tot*] i. e. there is room within Caesar's lines for rivers to rise, run their whole course and fall into the sea.»

VI 125

opportuna tamen ualli pars uisa propinqui
qua Minuci castella uacant et confraga densis
arboribus dumeta tegunt.

P U codices secuti Weise-Haskins et Francken edunt u. 126 *quam Minuci castella uocant.* Samse quidem (l. l. pp. 7 sqq.) approbante Leone coniecit *qua Minuci castella uocant.* Ac Francken quidem priore loco *uacant* falsum esse putat, quum e sequentibus uersibus castellum uacuum non fuisse appareat; posteriore loco obiectum uerbi tegunt desiderat. Priusquam ad lectionem plurimorum codicum, quam ueram esse credo, explicandam transgredior, pauca dicenda sunt de inepta sane structura, quam ostendit Franckenianus u. 126. Quid enim? Relatiuae illae sententiae, quae sunt *quam M. castella uocant et (quam) dumeta tegunt*, re cohaerere inter se prorsus non possunt; cur uero tum artissime connectuntur? — Quod ad alteram sententiam pertinet, animaduertendum uidetur Pompei maximi interfuisse copias suas progredientes arboribus tegi, non uallum. — Et prius illud, si *uocant* de nomine castelli adhiberi arbitremur, ut Haskins et Francken, ineptum est; nam si uoluisset dicere Lucanus Minucium ibi fuisse ducem, absonum et inauditum fuit hoc sic exprimere: *Minuci castella uocant.* Neque magis — id quod statuit Haskins — probabile est his uerbis significasse Lucanum a Scaeua hoc nomen inditum esse castellis, quum hoc nomen (Minucius) Scaeuae non fuisse constare uideatur (cfr Usener ad Comment. p. 195. 22). Fr.: ›. . . Μινούκιος, de quo castellum postea dictum, cum haec scribebantur.‹ Tum uero, ut sunt arte inter se connexae relatiuae hae sententiae, nihil restat, nisi ut *et . . . dumeta tegunt* quoque de iis Lucani (!) temporibus dictum putemus. Ceterum *tamen* (u. 125) quoque obstare uidetur, quominus uera sit lectio Haskinsi et Franckeni; nam eiusdem generis esse relatiuas sententias tam arte cohaerentes necesse est et aliquid antecedentibus contrarii in utraque inesse, quod in priore frustra requiras. Ad Samsei lectionem proinde transgrediamur: *qua Minuci castella uocant* = »qua Pompeium Minuci castellum (!) propterea a l l i c i e b a t, quod dumeta aggredientem occultabant». Sed huic quoque lectioni obstant pauca. Primum pluralis ille

castella temere positus uidebitur. Deinde molesta euadet parataxis sententiarum relatiuarum, quarum posterior adnexa est priori ita, ut pro causali sententia posita esse uideatur. Quod in sententiis relatiuis usu uenire non * ostendit S. nec crediderim. Dolendum est Samseum uersus a se correctos et explicatos non exscripsisse. Tria cogitari possunt: aut

1. *opportuna tamen ualli pars uisa propinqui,*
qua Minuci castella uocant et confraga densis
arboribus dumeta tegunt. hic . . .

Ubi inuenitur languida et Lucano indigna repetitio uerbis, quae sunt *opportuna uisa est*, addito uerbo *uocant*. Sed ideo fortasse, ut hanc difficultatem euitaret, Samse ait particulam *qua* non ad id referendam esse, quod praecedit: *ualli pars . . . propinqui*, sed potius poetam uerba *qua . . . tegunt* aequo ordine antecedentibus *opportuna . . . propinqui* adiunxisse. Nonne sic:

2. . . . . *propinqui:*
qua Minuci castella uocant

An sic:

3. . . . . *propinqui.*
qua M. castella uocant . . . et . . dumeta tegunt, hic . . . agmen agit.

Alteram (2.) textus constituendi rationem Samseo obuersatam esse credo; cfr explicationem p. 12 media fere redditam: »opportuna Pompeio ad erumpendum uisa est pars quaedam ualli, qua propinquum erat; ea uia opportuna uisa est, ad quam ingrediendam eum Minuci castellum propterea inuitabat, quod adeuntem siluae occultabant». Ad quae animaduertendum est ita *ualli pars . . . propinqui* et *qua . . . tegunt* diremptis *tamen* uerbum intolerabile uideri, neque enim uerba, quae sunt *opportuna ualli pars uisa propinqui*, contraria sunt antecedentibus, ne si sic quidem scribamus: *ualli pars propinqua*. Quod eodem modo de tertia illa textus forma dicendum est. Omnino recepta correctione Samsei molesta, intricata, male inter se cohaerentia euadunt haec omnia.

* Neque exempla, quae attulit Samse, ostendere ualent tolerabilem esse structuram, quae est *castella uocant et dumeta tegunt*, positam pro ea, quae est *castella uocant propterea, quod dumeta tegunt*; nedum hanc relatiuarum sententiarum copulationem.

Hosianam uero lectionem duae interpretandi rationes sunt. Priorem si amplectamur, contendemus *uacant* uerbum significare non leer waren (cfr uu. 132 sq.) sed müssig waren atque adhiberi translate de munimento, ubi milites ei praesidio dati muneribus cessent militaribus. Conferre licet talem usum quod ad sensum cognati uerbi, quod est *cessare*, IV 24 *prima dies belli cessauit Marte cruento;* VI 121 . . . *soceri cessantibus armis.* Sed haec explicatio quominus uera esse possit. obstat, quod uersibus 121 sq. disertis uerbis dicitur Pompeius noluisse perrumpere, ubi cessarent hostium copiae; ceterum tempus melius respiceretur quam locus, haec significatio si *uacant* uerbo subesset. Reliqua est altera explicatio, quae et rerum inter se connexum et uerborum structuram facilia reddit intellectu, nisi prorsus me fallo. Quam repperi, quum forte uidissem uerbum, quod est *uacare*, eodem plane sensu adhiberi Val. Flacc. Argon. VI 374

ferit . . .
inde Thoen, qua pelta uacat

Haec uerba nimirum ad peltae formam lunatam referenda sunt; cfr

Stat. Theb. VII 270

saeuaque difficiles excludere uolnera peltas.

Docet Lucanus Pompeium, quamuis ferox esset, tamen eam partem elegisse ualli, quae inter duo castella, quibus praefuit Minucius, interiacebat male defensa (cfr 39 sq.: *turritaque summis disponit castella iugis*). Ita pluralis quoque, qui est *castella*, bene explicatur. Vertendum sic: »wo die Kastelle des Minucius einen ungeschützten Zwischenraum zwischen sich lassen». Restat ut ostendamus ne in absoluto quidem uerbi *tegunt* usu offendendum esse. Conferri licet Liu. XXII IV 3 *equites ad ipsas fauces saltus tumulis apte tegentibus locat.* Sed concedo et audiri facile propter antecedens *equites* obiectum et ablatiuum absolutum ad obiectum omittendum nonnihil ualere potuisse. Atqui in promptu est arbitrari praecipue in sermone militari structuras breues — in quibus absolutum uerborum usum — occurrere par esse. Cfr

II 529

temptandasque ratus moturi militis iras

Cfr exempla ab Haskinso ad hunc locum allata.

VII 328

uallo tendetis in illo

Cogere = »als Nachhut dienen»; cfr Liu. *primae legionariae cohortes ibant, leuis armatura et equites cogebant*

Premere sensu militari saepius absolute adhibetur; cfr V 803

saeui premerent quum Caesaris arma

Stat. Theb. VIII 351

ceu Danai post terga premant

id. VIII 421

nunc turba recedit,
nunc premit

Item *seruare* = »hålla vakt»; cfr. Plaut. Most. 451 sq.; Ter. Eun. 780;

Ouid. Metam. I 627

capiebant bina quietem,
cetera seruabant atque in statione manebant.

Conferre licet uerba graeca, quae sunt ἐλαύνειν, ἄγειν, ἡγεῖσθαι cett., absolute posita. Exemplum uerbi *tegere* absolute adhibiti exstat

Verg. Georg. III 144

muscus ubi et uiridissima gramine ripa
speluncaeque tegant et saxea procubet umbra.

Verborum absolutus usus Lucano etiam in deliciis esse uidetur; cfr I 398 (*ferre*); 407 sq. (*prohibere*); II 495 (*arcere*); III 68 sqq.; IX 936 (*superare*); V 512; IX 1062 (*fallere*); V 297 sq.; IX 261 (*pati*). Plura exempla afferre taedet.

VI 425

non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,
nec quaesisse libet, primis quid frugibus altrix
aere Iouis Dodona sonet, quis noscere fibra
fata queat, quis prodat aues, quis fulgura caeli
seruet et Assyria scrutetur sidera cura

Francken pro *fibra* V codicem secutus praebet *fibris*, cui uerbo *quîs* (= quibus) attributum esse arbitratur; pro uerbis, quae sunt *quis prodat aues*, coniecit *quid prodat auis*. Cur ita

legendum esset, causam ostendit hanc: non de homine probando, sed de re noscitanda agi; quod apparere e uerbis antecedentibus *quid Dodona sonet.* Sed ualde uereor, ne rerum nexu parum perspecto temere mutauerit. Agitur de nimia S. Pompei religionis negligentia: primum locis sollemnibus deos futura aperientes non adiit; h. l. de loco aut homine inueniendo non agitur, nam ubi loca illa essent constabat, sacerdotesque deorum interpretes semper aderant rogitantibus. Deinde uero, ubi quaerendi primum erant homines, qui litando, augurando, seruando de caelo, astra scrutando, quae futura essent, in lucem proferrent, tanta egit negligentia, ut ne eos quidem, quorum tanta ubique fuit copia, ubi reperiret et unde acciret quaereret. Quod Romanis inauditum. Agitur nimirum dē homine non probando sed reperiendo. Lectio, quae est *quis noscere fibris fata queat*, ideo probanda non est, quod de ritu litandi non agitur. Quod uero negat Fr. *prodere aues* pro augurium nuntiare dictum altero exemplo Lucaneo niti, afferendi uidentur loci Lucanei,

I 676

talis et attonitam rapitur matrona per urbem
uocibus his prodens urguentem pectora Phoebum

X 179

quodcumque uetustis
insculptum est adytis, profer noscique uolentes
prode deos.

His locis per metonymicam translationem uerbum, quod proprie referendum erat ad rem, additur personae; cfr V 89 sq. (*proferre se*). Aues ipsae futuri consciae inducuntur saepius; cfr Luc. I 587

fulminis edoctus motus uenasquè calentes
fibrarum et monitus errantis in aëre pinnae

Sil. Ital. Pun. IV 121

penna monstrare futura magistra

Stat. Theb. III 471

pernicibus alis
addere consilium uolucresque implere futuri

id. VIII 181

aut cum quo uolucres mea fata loquentur?

Claudian. XXVI 228

tunc somnia uulgo
narrari, tunc monstra deum monitusque sinistri:
quid meditentur aues, quid cum mortalibus aether
fulmineo uelit igne loqui

VII 1

Segnior Oceano, quam lex aeterna uocabat,
luctificus Titan numquam magis aethera contra
egit equos cursumque polo rapiente retorsit
defectusque pati uoluit raptaeque labores
lucis et attraxit nubes, non pabula flammis,
sed ne Thessalico purus luceret in orbe.

Francken u. 2 conicit *luctifugus;* significari enim diem ante aciem Pharsalicam, non ipsius pugnae, nam uesperum, qui includatur u. 3 („retorsit equos"?), manifesto non esse eum, qui secutus sit pugnam, nam solem aegre occidisse, ut fatalem diem differret; narrationis quoque serie illud probari. Sed ridiculum erat tam ample turgideque uerba facere de die, quo plane nihil fatale factum esse traditur. Deinde quaerendum est, cur ita inducatur tempus, quod nec cum antecedentibus (uersibus libri sexti ultimis de nocte iusto longiore uerba fecerat poeta) apte connectere liceat neque ad res die Pharsalico factas referre possimus. Solem aegre orientem desideramus. Tum monendum uidetur facile explicari rerum seriem, qualem praebet lectio codicum: Sextus Pompeius nocte diei fatali proxime antecedenti [1] magam adiens fatum gentis quaerendo comperit. Quae commemorata sic concludit poeta: *iussa tenere diem densas nox praestitit umbras.* Tum uero ad ipsum proelii Pharsalici diem transitur, quo incipiente sol segnior, quam lex aeterna naturae uocaret, ortus esse dicitur, ne supra montes exortus luce sua [2] pugnandi facultatem praeberet. Ea quae sequuntur et ipsa amplum totius diei fatalis exordium sunt. Ominis instar erant mora solis et nubium umbrae, quibus por-

[1] Cfr. ea, quae Samuelis lib. I cap. 28 traduntur de Saulo magam Endorensem consulente.

[2] *Luctificus* sensu consimili de sole oriente adhibetur Sen. Oedip. 3: Val. Flacc. Argon. III 292.

tendebatur dies belli ciuilis maxime fatalis, pugnae Pharsalicae; conferenda profecto sunt, quae de altero ciuilis belli die fatali a Lucano traduntur, dico primo belli die,

I 233

iamque dies primos belli uisura tumultus
exoritur; seu sponte deum, seu turbidus auster
impulerat, maestam tenuerunt nubila lucem.

Postremum merito poeta transit ad Pompeium, qui illo die fato affligendus fuit; qui quo magis miserabilis sit, diei miseriis quodammodo opponitur noctis dulce somnium. Quo inserto breuiter excipitur iterum diei narratio sic u. 45: *uicerat astra iubar, quum* . . .

Sic uerba coniungo: »*Titan — numquam magis lactificus* — 1) *segnior, quam l. ac. u., egit aequos* 2) *defectus pati uoluit* e. q. s. Nam *aethera contra* et *cursum polo rapiente retorsit* non dicuntur ad inuitum solis cursum depingendum, sed ita omnino plenius describitur cursus; cfr ea, quae de hac re filio Phaetonti dicit Sol Ouid. Metam. II 70 sqq., ubi uerba inueniuntur his plane respondentia. At multo minus recte *cursum retorsit* de sole ad occasum pergente dicta accipiuntur. Franckenum nimirum fefellit uerbum *Oceano* parum intellectum; quod non datiuus est (= ad mare Oceanum) sed ablatiuus est (= ex Oceano). Cfr Homer. Odyss. *γ* 1 *ἠέλιος δ'ἀνόρουσε, λιπὼν περικαλλέα λίμνην*

VII 183

gaudet monstris mentisque tumultus
atque omen scelerum subitos putat esse furores.

Tumultu lectio est codicum U C; *tumultum* lectionem exhibent V P G codices; *tumultus* (A E); *tumultis* (M_1 Z) lectio e *tumultus* fluxisse uidetur; nam in his codicibus *-us* et *-is* syllabae identidem confunduntur. Velut II 54 (Hiber*is: -us*, M_1 Z); II 673 (aus*us: -is*, M_1 P_1 Z); III 257 (diuers*is: -us*, M_1 Z_1); III 367 (dimiss*is: -us*, Z_1); III 539 (eur*is*-que: *-us*-, M_1 Z_1); III 643 (art*us: -is*, M_1? P_1); III 670 (fus*is: -us*, Z_1 U_1); IV 239 (paru*us: -is*, M_1 Z_1); IV 311 (haust*us: -is*, Z_1 U_1); eodem pertinent IV 387 (sit*im: -um*, M_1 Z_1); IV 761 (*u*lli: *i*lli, M_1 Z_1); IV 774 (rect*is: -us*, M_1); eodem pertinere uidetur V 301 (sol*i*-

tus: sol*u*tus, M_1 Z); V 435 (inmot*is: -us*, M_1); VI 151 (cunct*is: -us*, M_1 P_1 Z_1); VI 596 (dub*iis: -ius*, M_1 Z_1); eodem pertinet VI 683 (d*i*rum: d*u*rum, M_1 Z_1 V); VI 805 (Pompei*is: -us*, M P Z); VII 490 (sol*us: -is*, M_1 Z_1 G_1); VIII 670 (semianim*is: -us*, M Z); X 15 (intrepid*us: -is*, Z_1); X 130 (null*is: -us*, M_1); X 226 eodem pertinet (r*i*pis: r*u*pis, M_1). — Constat nimirum accusatiuum melius commendatum esse quam ablatiuum. Atque haud scio an sit abl. nihil aliud quam coniectura emendatoris ueteris, qui uerborum structuram parum intelligens idem sensit quod Francken, qui de hoc loco in nota critica sic uerba facit: »Sed male *tumultus atque omen* componuntur, alterum est res desiderata (*omen scelerum*), sed non *tumultus*.» Dubitari non potest, quin uerum sit *tumultus;* hoc recte constituit Samse l. l. p. 53: »i. e. mentis tumultus atque subitos furores (scil. mentis) putat esse omen scelerum». De sermonis figura uberius egisse ait Leonem ad Culicem p. 44 et Boldtium De liberiore collocatione uerborum (diss. Gott. 1884) pp. 96 sqq.; neque locum ullum Lucaneum eiusdem generis attulit. Sed haec uerborum structura, qua particula additur non posteriori membro, sed uerbo duorum membrorum communi, — quam structuram Horatio in deliciis fuisse constat — apud Lucanum duobus aliis locis exstat:

I 262 (*-que*)

ecce faces belli dubiaeque in proelia menti
urguentes addunt stimulos

III 478 (*aut*)

nec Grais flectere iactum
aut facilis labor est longinqua ad tela parati
tormenti mutare modum

Aliis quoque locis consimilem uerborum collocandorum ordinem agnoscere licet, sed haec dilucidiora esse uidentur exempla.

VII 304

Caesareas spectate cruces, spectate catenas
et caput hoc positum rostris effusaque membra
saeptorumque nefas et clausi proelia Campi.
cum duce Sullano gerimus ciuilia bella.

Francken et *spectate* inepte dictum putat, quum nemo id spectet, quod nondum sit, et *Caesareas* uerbum corruptum

putat, quod nihil possit significare nisi *a Caesare* (*Caesaribus*) *erectas*. Illud mihi Fr. non probat: ea, quae, uicti si essent Caesariani, exspectanda essent, clementiae desperandae causa uiue subiciuntur sub oculos. *Spectate* = »ecce iam praesto sunt». Concedo minus solito usu *Caesareas* adhibitum esse uideri pro »Caesari (Caesarianis) erectas». Haec omnia ad speciem a Sulla crudeliter factorum adumbrata esse apparet. Seruos pugnantes captos Sulla cruci affigi iusserat. Pompeius uero contionabundus (II 552 sqq.) Caesarem cum Spartaco contulerat. *Caput hoc positum rostris:* haec uerba Fr. ad Octauii consulis et M. Antoni oratoris fatum spectare arbitratur; sed monendum est Sullanos illos a Mario esse occisos. Hic Caesar, opinor, spectat ad Sulpicium Marianum, qui sine imperio armatos — tria milia traditum — duxisset contra rem publicam, leges per uim pertulisset, consulibus mortem minatus esset, postremo expulsus a Sulla trucidatus esset. Cfr Vell. Paterc. II XVIII 2; XIX 1; hoc loco finis Sulpicii memoriae proditur sic: »*Sulpicium etiam adsecuti equites in Laurentinis paludibus iugulauere, caputque eius erectum et ostentatum pro rostris uelut omen imminentis proscriptionis fuit.*» Omnia eadem, quae Sulpicium, Caesarem commisisse insimulare nempe Pompeium. *Saeptorumque nefas et clausi proelia Campi:* haec uerba quid significent, ostendit Fr.

VII 317

quantum satiauit sanguine ferrum!

Weise-Haskins, Postgate (M. Annaei Lucani De bello ciuili liber VII, Cambridge 1896), Francken cum codicibus V U P G praebent *quanto*. Sed lectionem plurimorum codicum (ab Hosio receptam) retineri posse credo; cfr

VII 847

quo tantum crimine, tellus,
laesisti superos, ut . . .

Ubi in sensu eodem codices — exceptis A B C, qui *tanto* exhibent — eundem pronominis casum adhibent (*quantum* = *quantopere*).

VII 504

nec fortuna diu rerum tot pondera uertens
abstulit ingentis fato torrente ruinas.

Haskins sic interpretatur: »and Fortune, taking but a short time to overthrow such weighty interests,» . . . Ad insolitum uerbi *diu* usum probandum affert VIII 672 sq. *nodosaque frangit ossa diu*, quod exemplum sufficere iure negat Francken. Potius afferre debebat *diu mori; diu perire* (*diu* = »langsam»), quas structuras de Seneca sumptas affert Georges. Francken Grotium aut Heinsium secutus legit *uergens* (»*Vergens* * est librans, ut Grotius ait; Fortuna ponderat utriusque fatum»). Postgate praeferre uidetur *rerum tot pondere uergens* (»rocking»). Sed codicum lectionem nonne ita defendere licet, ut explicemus hoc significare uerba illa: et fortuna diu non tot rerum pondera uertens = ». . ., die lange nicht so eine gewaltige Macht gestürzt hatte»? Lectio, quae est *uertens*, firmatur loco quodam Lucaneo, qui hunc nimirum imitatur.

VIII 14

multi Pharsalica castra
quum peterent nondum fama prodente **ruinas,**
occursu stupuere ducis **uertigine rerum**
attoniti

VII 525

immemores pugnae nulloque pudore timendi
praecipites fecere palam, ciuilia bella
non bene barbaricis umquam commissa cateruis.

Tum demum sequuntur uersus illi, qui sunt de fuga barbarorum, imprimis

VII 531

in sua conuersis preeceps ruit agmina frenis

Quare parum credibile est *praecipites* iam u. 526 — ut Haskins contendit — significare »praecipiti fuga», »temere celerrimeque fugiendo», quam significationem in hoc per se uerbo inesse non credo. Hoc uero omnes, quicumque hunc locum interpretandi

* *Vergere* uerbum intransitiuum est Lucan. VIII 280 . . . *mentisque meae quo pondera uergant.* Cfr locos Senecae et Vergili, quos affert Haskins VIII 280.

causa tractauere, temere credidisse uidentur. Francken quidem admodum contortam esse ait interpretationem (Haskinsi et Postgatei), qua *timendi* gen. gerundii existimetur pendens a *pudore* quasi = timoris. Paullo meliorem uideri Weisei: »non formidabiles ullo pudore, qui enim pudorem habet, is timendus fit fortitudine». Haec mihiquidem frigida sane et aequo longius petita. Fr. uero ipse pro *timendi* cum Burmanno legendum putat *tenendi*. »Non eos cohibebat, tenebat, pudor.» Sed nec uim adeo propriam et plenam in uerbo *praeceps* inesse credo, et uim, quam Fr. uerbo *tenendi* subesse arbitratur — nempe *συσχετοί* non *συσχετέοι* —, reiciendam puto. Constat quidem interdum gerundiuum cum negata uerbi *esse* forma coniunctum uel ipsum negatum primo significare aspectu non tam rem non fieri debere, oportere, necesse esse, quam potius rem fieri non posse. Sed conferamus pauca eiusmodi exempla: a) Lucan. V 105

nam fixa canens mutandaque nulli
mortales optare uetat

VII 688

spes numquam explenda recessit

Cum his aliud exemplum conferendum:

VIII 81

deformis adhuc uiuente marito
summus et augeri uetitus dolor

Claudian. I 106

claustraque congestis scopulis durissima tendunt,
non alia reseranda manu, sed peruia tantum
Augusto

id. XXII 424

est ignota procul nostraeque imperuia genti,
uix adeunda deis

Hic primigenia est uis uulgata, altera translatione adducta: id quod dis fieri non placet aut rerum natura inuita fiat, id fieri ne potest quidem. Cfr Lucan. I 418 sq.; Horat. Carm. I XI 1 sq.

b) Caes. B. G. V XXVIII 1 *ciuitatem ignobilem atque humilem Eburonum sua sponte populo Romano bellum facere ausam uix erat credendum.* Cic. De fin. IV XIX 53 (cfr Madvig ad id. I II 6) *si asperum et uix ferendum putabit . . .* Cic.

Tuscul. I I 2 *iam illa, quae natura, non litteris assecuti sunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt comparanda.*
Octauia 57

O mea nullis aequanda malis
fortuna, licet
repetam luctus, Electra, tuos

Hic translatione adduci posse uidetur uis * uulgata: quod quis facere aut omnino non aut certe non recte potest, id eum facere aut non par aut certe necesse non est. Sub a) ad gerundiuum negatio referenda est, sub b) ad uerbum substantiuum.

Hic uero locus Lucaneus neque inter huius neque inter illius generis exempla rite numerari potest, neque enim ulla gerundiui uis effici posse uidetur. — Sed omnes lectionis codicum explicandae sanae rationes dum temptentur, emendandi studium cohibendum puto. Atque omnis difficultas sublata erit, si *timendi* genetiuum gerundii *praecipites* uerbo regi constituerimus. Quam structuram si quis Lucaneam esse neget, afferre licet
I 460

inde ruendi
in ferrum mens prona uiris

* Difficilem explicatum habere uidentur uerba quaedam **uidendi** et **noscendi**: cfr
Ouid. Metam. VII 723
Palladias ineo non cognoscendus Athenas
id. X 650
nullique uidenda nisi ipsi
Hippomenen adii
id. XII 250
et ossa
non agnoscendo confusa reliquit in ore
id. XV 843
media quum sede senatus
constitit alma Venus nulli cernenda
Sil. Ital. Pun. XIII 705
iamque aderat multa uix agnoscendus in umbra
Paulus
Sine negatione:
Stat. Theb. VIII 661
Capaneaque pinus
iam procul Aoniis uolet agnoscenda cateruis
id. IX 356
nusquam ille sed index
desuper, a miserae nimium noscenda parenti.
parma natat

Claudian. V 400

unus per medios audendi pronior ense
prosilit exerto

Praeceps uero eodem fere quo *pronus* sensu saepius adhiberi constat = »leicht hingerissen», »nur zu geneigt» (*praeceps in auaritiam et crudelitatem animus*, Liu.; *praeceps ingenio in iram erat*, Liu.; *in bellum prono*, Lucan. I 292; *praeceps ad explendam cupidinem*, Sall.; quae exempla affert Georges). Ita hoc loco explicato simplex euadit antithesis: *immemores pugnae* (= ad pugnandum segnes) — *timendi praecipites*. Vertendum: »De tänkte ej ett ögonblick på strid och visade — totalt i saknad af hederskänsla, som de voro — i stället en alltför liflig benägenhet att betagas af panik och ådagalade därmed klarligen, att . . .»

Nullo pudore = »quum prorsus deesset pudor»; cfr IX 425 . . . *nullo glebarum crimine pura* . . .

VII 567

quacumque uagatur
sanguineum ueluti quatiens Bellona flagellum
Bistonas aut Mauors agitans, si uerbere saeuo
Palladia stimulet turbatos aegide currus,
nox ingens scelerum est

Francken u. 569 pro *si* praebet *seu* (= uel si) tres comparationes esse ratus. Duae profecto sunt: 1. Bellona flagellum quatiens sanguineum, 2. Mauors (Bistonas agitans = Thracius) in bello Troiano contra Mineruam bigas incitans (stimulo). Quaerendum est, cur priore loco ponatur participium, posteriore sententia condicionalis. Hoc inde explicare liceat, quod Bellona in pugna ne cogitari quidem potest nisi flagellum (aut facem) quatiens,*

* Cfr Verg. Aen. VIII 703
quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello
Sil. Ital. Pun. IV 438
frenisque operata regendis
quadriiugos atra stimulat Bellona flagello.
id. V 220
ipsa facem quatiens ac flauam sanguine multo
sparsa comam medias acies Bellona pererrat.
Stat. Theb. VII 72
regit atra iugales
sanguinea Bellona manu longaque fatigat
cuspide.

Mauorti uero additur *Bistonas agitans*, quo sciant omnes hic respici Martem Thracium,[1] omnium ferissimum belli praesidem. *Bistonas* enim idem ualere quod Thracas[2] uix est quod moneam. Sed Mars Thracius multimodis agens induci potest; additur igitur *si* ***stimulet*** *turbatos aegide currus*. Ita demum hoc de Mauorte dictum apte illustrat ea, quae paullo supra et infra de Caesare dicuntur — u. 557 *stimulus furorum* et uu. 576 sq.

impellit terga suorum,
uerbere conuersae cessantis excitat hastae.

Accedit uero unum, quod longe maximi est momenti; Lucanus enim nescioqua de causa uitasse uidetur simplicis uerbi *seu* (siue) usum (de qua re conferas uelim p. 98). Postgate quidem uno loco *seu* legendum[3] proponit, VII 675, ubi codices sensu perbono exhibent *sed*. P. ad hoc: »*Sed* the MSS. a very natural mistake; but *seu* not only agrees better with Lucan's customs elsewhere but also with the preceding *aut*.» Neque hoc neque illud P. iure affirmare uidetur, nam neque in hoc Lucaneo opere *seu* simplex usquam inuenitur, neque ea sententia, quae *sed* uerbo inducitur, eodem gradu quo uerba proxime antecedentia habenda est. Priora enim paullo incertiora sunt, hoc uero pro certo affirmare licet poetae.

VII 739

neque enim donare uocabo,
quod sibi quisque dabit.

Ita codices P G M (in rasura); B E V U R T *uacabo*. Equidem diu dubitaui, utram lectionem praeferrem; sed dubitare desii, postquam inspexi

II 539 *neque enim ista* ***uocari***
proelia iusta decet, patriae sed uindicis iram
nec magis hoc bellum est, quam ***quod*** *Catilina parauit*
arsuras in tecta faces

[1] Cfr Homer. Il. N 298 sqq.; Odyss. θ 361; Soph. Antig. 970 sq.; Oedip. R. 195 sq.

[2] *Bistonius* = Thracius; cfr Lucanea *Bistonius tyrannus*. *rex* = Diomedes; *Bistoniae aues* = grues; quas Strymona habitare alio loco scribit poeta: *Bistonius turbo* = aquilo turbo.

[3] *seu* coniectura est Sulpitii.

U G codices *cum* praebent, quam lectionem amplectuntur Weise-Haskins et Francken; cum multi tum Hosius Heinsio astipulati praebent *quo.* Sed nimirum loci hi alter alterum tuentur.

VII 768

ingemuisse putem campos terramque nocentem
inspirasse animas, infectumque aera totum
manibus et superam Stygia formidine noctem.

Francken Burmanno et Bentleio astipulatus pro *nocentem* praebet *nocentes;* solus uero post *terramque* interpunctionis uirgula posita *ingemuisse* uerbum affectum significans esse ostendit, quo regatur infinitiuus, qui est *inspirasse. Nocentes animas* ita = animas fratricidarum. Francken arbitratur neminem explicare posse, cur *terra* in uulgata *nocens* dicatur. Sed Franckeni recepta interpretatione abruptus sane uel potius prorsus nullus fiat transitus a campis dolentibus ad aera manibus infectum. Haec uero si quis recte explicata uoluerit, ad VII 175 sqq. ei deducendi sunt legentes, ubi ante pugnam Pharsalicam Caesarianis conspicienda se praebuisse traduntur similia iis rebus, quae confecto proelio se praebuere uictoribus; VII 175 sqq.

edere nocturnas belli Pharsalia uoces
. . . .
defunctosque patres et cunctas sanguinis umbras
ante oculos uolitare suos.

Post proelium campi quasi morientium gemitu murmurantes et strepentes peremptorum animas uictoribus immiserunt. Sunt uero sententiae et Franckeni, quam supra attulimus, et eorum, qui de spiritu et odore pestiferis e terra exeuntibus hic agi putant, ignorantium, quid *terram nocentem* significare uoluerit poeta. *Nocens* uerbum Lucano in deliciis esse uidetur.

Nocens a) de personis dictum significat eum, qui ciues trucidauit.

b) *ferrum nocens* is gladius est, qui in ciues trucidandi causa stringitur.

c) *terra nocens* ea est, quae misera ciuium caede conspicua est.

a) cfr II 286 sqq.; IV 192 sqq.; 253; VII 486 sqq.; 751; 763;

b) VII 160; 502 sq.

c) praeter eum locum, quem tractamus, afferre licet VII 867 (de Thessalia agitur)

nuda atque ignota iaceres,
si non prima nefas belli, sed sola tulisses.
o superi, liceat terras odisse nocentes.
quid totum premitis, quid totum absoluitis orbem?
Hesperiae clades et flebilis unda Pachyni
et Mutina et Leucas puros fecere Philippos.

IX 81

hunc uolumus quem Nilus habet, terraeque nocenti
non haerere queror; crimen commendat harenas.

X 474

tot monstris Aegypte nocens

Stat. Theb. XI 134

uisusque nocentibus aruis
abstulit

De agro Thebano agitur, ubi fratres Eteocles et Polynices casuri erant alter alterius hasta transfixi.

VII 781

hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia uidit
aut ultrix uisura dies stringente senatu,
illa nocte premunt

Francken, cui in relatiua sententia omissum uerbum substantiuum durius est, quam quod ferendum sit, nec uerba, quae sunt *stringente senatu*, satisfaciunt — »senatus non * stringebat gladios« — legendum proponit »*aut ultrix uisura diest ringente senatu*«. Sed quod ait in sententia relatiua omissi uerbi *est* apud Lucanum unum tantum praeterea exstare exemplum, fallitur. Affert Francken

* Sed cfr X 338
dignatur uiles isto quoque sanguine dextras,
quo fortuna parat uictos perfundere patres,
poenaque ciuilis belli, uindicta senatus
paene data est famulo.

IX 330

sors melior classi quae fluctibus incidit altis
et certo iactata mari.

Alia exempla sunt

I 597

uestalemque chorum ducit uittata sacerdos,
Troianam soli cui fas uidisse Mineruam

VIII 409

cui fas implere parentem,
quid rear esse nefas?

IX 239

quisquis Magno uiuente secundus,
hic mihi primus erit

IX 391

me teste pati uel quae tristissima pulcrum
Romanumque putant.

IX 852

ire libet, qua zona rubens atque axis inustus
solis equis

X 239

zephyros quoque uana uetustas
his ascripsit aquis, quorum stata tempora flatus
continuique dies et in aere longa potestas

Verbum aliud omittitur

II 726

non ea fata ferens, quae, quum super aequora toto
praedonem sequerere mari

Verbum substantiuum alias in sententia secundaria omittitur; in sent. condicionali:

II 550

quamquam, si qua fides, his te quoque iungere, Caesar,
inuideo

VII 192

si uera fides memorantibus

VI 615

sed si praenoscere casus
contentus facilesque aditus multique patebunt

In sententia temporali:

I 291 ... *sic postquam fatus* ...

VII 58

hoc placet, o superi, quum nobis uertere cuncta
propositum, nostris erroribus addere crimen?

In sententia explicatiua:

V 552

nec placet incertus, qui prouocat aequora, delphin,
aut siccum quod mergus amat, quodque ausa uolare
ardea sublimis pinnae confisa natanti

In oratione obliqua:

IX 846

nec, quae mensura uiarum
quisue modus, norant

Postgate ptcp. fut. omisso uerbo substantiuo praedicati uices raro sustinere ait; quinque Claudianeos locos exstare contendit, exempli loco affert praeterea Propert. I xix 18. Sed Lucaneum locum alterum afferre potuit:

VI 715

licet has exaudiat herbas,
ad manes uentura semel.

Coniecturam Franckeni, *diest*, ideo respuenda, quod talis elisio — mitto quod et a Lucani arte metrica et a metrica ratione omnium poetarum aureae, quae dicitur, aetatis plane abhorret — nusquam fit, ubi *s* finale longam sequitur uocalem. De qua re cfr Leo Plautinische Forschungen pp. 252 sqq.; p. 255 haec habet: »Es gibt .. keine Auslautssilben mit langem Vokal, die mit *est*, *es* zusammenwüchsen.»

VIII 5

pauet ille fragorem
motorum uentis nemorum, comitumque suorum
qui post terga redit, trepidum laterique timentem
exanimat.

Francken u. 7 legendum proponit *quidquid terga ferit.* Oudendorp u. 7 legit *ruit;* Weise, cui astipulatur Haskins, *ferit.* In interpretatione quoque multum desudarunt docti uiri. Ante Oudendorpum — auctore Franckeno — post *nemorum* non distinguebatur, ut iungeretur *fragorem nemorum comitumque suorum;* »non sine causa, quoniam *suorum* reflexiuum tunc

cum *pauet* iunctum recte usurpatur». (Fr.) — Sed constat in hoc pronomine praegrauante possessiua ui saepius ualde obscuratam esse uim reflexiuam. Cfr Schmalz Lat. Stilistik § 15, 4. Liu. IV LVIII 2;

Lucan. VI 251

labentem turba suorum
excipit

Val. Flacc. Argon. II 71

regunt sua sidera puppem

Iuuenal. Sat. V 141

sed sua nunc Mycale pariat licet

Ergo: »bullret af de egna följeslagarnes steg» . . . — Heitland quidem lectionem codicum sic explicat Cl R XI (a. 1897) pp. 206 sq., ut *qui post terga redit* esse dicat exploratorem praemissum, ut loca inuestigaret a fronte. *Post terga = in uestigia*, quem sensum exemplis de Corippo sumptis probare studet. Sed mihi quidem praestare uidetur uerba, quae sunt (*fragor*), *qui post terga redit*, de fragore collibus post fugientes iacentibus repercusso dicta esse constituere. *Redire* de imagine uocis et omnino de sonis redditis usurpari saepius uidemus; uelut

Stat. Silu. III I 129

terris ingens redit aequoris echo

Claudian. XXXI 49

redituraque rupibus echo?

Conferre licet Lucan. VII 483

uocesque furoris
expauere sui tota tellure relatas.

Pompeius igitur equites procul persequentes audire sibi uisus est.

Francken uero: »omnino intolerabile, quod omittitur nomen, unde pendet *comitumque suorum;* praesertim quum *fragorem* alio casu quam subiecti praecessit.» Sed ex antecedentibus uerbis non multo difficilius auditur subiectum quam e sequentibus obiectum

VII 815

quocumque tuam fortuna uocabit,
hae quoque sunt animae.

Subiectum ex obiecto antecedenti audiendum est:
II 508
captiuum traxere ducem, ciuisque superbi
constitit ante pedes.
IV 34
huc hostem pariter terrorque pudorque
impulit, et rapto tumulum prior agmine cepit.
Incertus locus est II 217
nec iam alueus amnem
nec retinent ripae, redditque cadauera campo.

M Z G (in ras.) praebent *reddunt;* H *redeuntque.*

H. l., quem tractamus, accedit, quod subi. audiendum correlatum est relatiuae sententiae; nec tamen omissio durior esse uidetur, quam quae tolerari possit.

VIII 40
Conscia curarum secreta in littora Lesbi
flectere uela iubet, qua tunc tellure latebas
maestior, in mediis quam si, Cornelia, campis
Emathiae stares.

Vulgo edunt *iubes* (Cornelia). Francken, quem »sane militare uerbum» *stares* ad Corneliam referre piget, proponit *iubes* (Pompeius) . . . *latebat* (Corn.) . . . *stares* (Pomp.). Sed sequentibus uersibus continuata apostrophe, qua respici Corneliam certo affirmare possumus (u. 46 *curris;* u. 48 *uides;* u. 49 *audes*), prohibet, quominus antecedentis sententiae uerbum ultimum, *stares*, de alia persona dictum esse putemus, praesertim quum post *stares* nullo inserto nomine proprio ubique tenore continuo pergat descriptio. Ceterum *maestior . . quam si . . in mediis . . campis Emathiae stares* de Cornelia dici probe intelliget, quisquis contulerit huic loco sane respondentem,
V 754
tutior interea populis et tutior omni
rege late, positamque procul fortuna mariti
non tota te mole premat.

His uero uerbis plane contraria accidisse ostendit poeta; curam enim et aegritudinem exspectati mali grauiores esse quam dolorem ipsius mali. Accedit quod uerbum *Cornelia* in

enuntiato secundario insertum, quo referendum sit *stares* uerbum, satis ostendit. Exempla uerborum insolite translatorum, quae affert Fr., sufficere non uidentur. Sed ad uulgatam redeundum iamdudum. In qua uocatiuus necessario erit *conscia curarum;* mihi quidem non placet uocatiuus hic inducens sententiam in qua nulla insit inuocatio neque ulla omnino affectuum uis et contentio. Iusto magis turget igitur lectio uulgata, cui ceterum obstat codicum auctoritas. Postremum quid magis decorum et poeta dignum quam ipsa Lesbi littora esse dicere *conscia curarum* Pompei, ubi et Pompeius coniugem saluti eius consulens deposuerat et Cornelia totos dies curis affecta nuntios coniugis exspectauit? Accedit, quod *iubere* uerbum de homine in naue imperitante melius usurpari uidetur. Cfr uu. 185 sq. *sed quo uela dari, quo nunc pede carbaso tendi | nostra iubes?* Sed pro lectione *iubes* esse uidentur loci quales sunt VIII 855 sqq. . . . *quem non tumuli uenerabile saxum* . . . . . *auertet manesque tuos placare iubebit* . . . .*?* IX 1049 . . . . *nec nata iubet maerere neposque?* — Hosiana quoque lectio difficultate quadam laborat; ad *uela* enim uerba *conscia curarum* referenda erunt. Quam ut uites, mecum lege — uerborum ordine ut omnino sano ita poetico et uere Lucaneo —

a) *conscia curarum* b) *secretae in* a) *littora* b) *Lesbi*

cum codicibus P (U V?).

VIII 541

exiguam sociis monstri gladiisque carinam
instruit.

Quaerit Francken, quod *monstrum* significetur. Neque Achillam (= subi.) neque Ptolomaeum indicari. Coniecisse se *c. sociis* (naualibus) *tonsis gladiisque c.*, sed simpliciorem esse coniecturam Burmanni: *monstrum* (= Achillas). Atqui cur statuendum est uerbo, quod est *monstri*, personam tantum significari posse? Burmanno et Franckeno nimirum obuersati tres huius libri loci, VIII 474; 448; 613. Sed cfr

IV 245

fecit monstra fides

IV 252

ac uelut occultum pereat scelus, omnia monstra
in faciem posuere ducum

VII 464

facturi quae monstra forent

X 336

habitant sub pectore manes
ultricesque deae dant in noua monstra furorem.

X 473

aestimat in numero scelerum ponenda tuorum,
tot monstris Aegypte nocens.

Restat, ut de structura illa *sociis monstri* pauca disputemus; atque

Socium esse alcis rei significat

a) interesse alci rei alcis iuuandi causa; uelut

I 299

bellorum o socii

II 542

sociusque furoris
Lentulus

X 350

ad Pompeianae socium sibi caedis Achillam

Lucret. III 61

socios scelerum atque ministros

b) aeque participem esse alcis rei (saepius inter exempla duorum generum obscurum confinium)

I 92

nulla fides regni sociis

II 346

non me laetorum sociam rebusque secundis
accipis: in curas uenio partemque laborum.

IX 46

ancipites tenuere animos, sociosne malorum
an ueherent hostes

Quod uero monstrum significari putemus? Nimirum caedem Pompei, hospitis auiti et patroni, quam indicari uidimus u. 538: *sceleri delectus Achillas.*

VIII 613

ut uidit comminus enses,
inuoluit uoltus atque indignatus apertum
fortunae praebere caput tunc lumina pressit
continuitque animam, ne quas effundere uoces
uellet et aeternam fletu corrumpere famam.

Bentley, cui astipulatur Francken, pro *indignatus* conicit *indignatur.* Quae lectio per se melior esse uidetur, quum post ptcp. perf. antecedens tempus per se respiciens molestum esse uideatur aduerbium *tunc* * tam diserte posterius tempus significans. Num in codicibus per confusionem litterarum *s* et *r* pro *indignatur* mendose *indignatus* scriptum? Non nimis credibile, quum esse uideatur *indignatus* lectio, quod ad sensum attinet, difficilior. nec tamen ita fieri potuisse temere negandum est. Hanc quaestionem difficilem ut aliqua probabilitatis spe diiudicarem, uarias codicum lectiones perscrutatus his locis *s* et *r* litteras sine dubio confusas esse repperi:

a) *r* > *s:* II 328 pro *Hortensi: ostensi* (M); II 348 pro *relinquor* (= relĩquor) M exhibet *reliquos;* II 567 pro *cursu: cussu* (M); VIII 35 pro *ratis: satis* (M); X 277 pro certo *currus* M praebet *cursus.*

b) *s* > *r:* VII 86 pro *fata suae* M exhibet *faturuae;* VII 804 pro *haeserit* M_1 *haererit.* Ex his exemplis concludere in promptu est librarium codicis M (aut eius archetypi) *s* et *r* uicissim immutasse propter magnam harum litterarum in archetypo similitudinem. Sunt et alii loci, ubi confunduntur *s* et *r*, sed in singulis tantum codicibus et plerumque ubi non tam de litterarum ductu sed de sensu uerborum et uno et altero modo iudicare procliue sit; ex. gr. II 426 *moratus: moratur* (T); III 90 *fatur: fatus* (M Z_1); VI 246 *effatur: effatus* (B_1 P); VI 329 *fatus: fatur* (T); VII 3 *cursum: currum;* VII 52 *uocatur: uocatus* (B_1); VII 647 *transisse:* U *transire* (< transiše?); VIII 775 *fatus: fatur* (E_1); IX 549 *hortatos* (B): *hortator* ceteri, nisi quod M *hortatur* habet. Quibus exemplis ostendere parum ualemus omnino in codicibus Lucanei operis pronam fuisse

* Sed post *ubi* exstat *tunc* (*tum*) I 208 sqq.; II 669 sq.; III 71 sqq. *Postquam* praecedit IV 56 sq. Quibus locis *tunc* (*tum*) idem ualere uidetur quod illud *tum uero;* quem usum uerbi *tunc* hic quoque agnoscere liceat.

admodum litterarum *s* et *r* confusionem. Quae quum ita sint, in lectione codicum consensu commendata (*indignatus*) acquiescere tutius erit.

VIII 618

sed postquam mucrone latus funestus Achillas
perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum
respexitque nefas

G *consentit*; C *concessit*. De hoc loco constituendo et interpretando dissenserunt ualde uiri docti. Franckeno quidem placet: *nullo gemitu concussus ad ictum* (est) | *respexitue nefas*. »*Non respexit* i. q. non oculos uertit in n.» Sed paullo supra dicitur Pompeius inuoluisse uultus et lumina pressisse; hoc igitur addere ineptum. Haskins Burmannum et Corteum secutus legit *consensit . . . despexitque nefas* = »he yielded patiently to the blow and showed his contempt for the crime». Quod melius quidem, sed sine causa necessaria a codicum lectione recedit. Alii uero lectionem retinent de negatione (*nullo* . .) per duo membra continuata loquentes aut *respectiue* legunt. (Cfr Hosius in editione Franckeniana censenda B Ph W a. 1898 p. 425). Quibus omnibus uim uerbi, quod est *consensit*, aliquo modo detorquere necesse fuit. Mihiquidem *consensit* idem est atque non grauatus est; *nullo gemitu* = sine gemitu. *Consentire ad rem* cfr Cic. Attic. V XVIII 2 *exercitu ad beneuolentiam erga nos consentiente* . .; Sueton. Calig. V *barbaros . . . consensisse ad indutias*; Cic. Cat. IV 15 *ad communem salutem dignitatemque consentiunt*. Restat, ut, quid significet *respexit*, explicemus ita, ut cum antecedenti uerbo coniungere liceat. Ac moneri potest unam huius uerbi significationem esse exspectare, desiderare = »auf etwas warten», »mit Verlangen etwas abwarten». *Nefas* = caedem, mortem suam. Hunc exspectandi siue desiderandi sensum hic subesse fortasse ueri similius erit, si quis uersus sequentes contulerit uu. 644 sqq.:

nescis, crudelis, ubi ipsa
uiscera sint Magni; properas atque ingeris ictus,
qua uotum est uicto.

Particula, quae est *sed*, u. 618, opponitur curae fortiter moriendi in ipsa morte securus ac laetus animus.

VIII 771

interea paruo signemus littora saxo,
ut nota sit busti

M_1 Z_1 *litore . . . saxa.* Francken legit *paruom* (< *paruō) *s. littore saxum.* Littus signare uno lapide ineptum esse et u. *signare* idem quod distinguere ualere insolitum esse ait Fr. Si ullus omnino in lectione Franckeni sensus hic inesse debet Cordum, ut saxum sepulcri postea repperire sibi liceret, littoris situm notasse. Sed aliorum causa signum Cordum posuisse e uersibus 772 sqq. apparet. Ceterum obscura nocte, qua »lucis maesta parum per densas Cynthia nubes praebebat«, qui licuit littore plane ignoto notare saxum? Potius uero saxo e solo arenoso exstante littus signare potuit. Cfr ea, quae paullo infra dicuntur,
uu. 790 sqq.

saxo compressit harenam,
nautaque ne bustum religato fune moueret,
inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
'hic situs est Magnus'.

Signare eo, qui hic requiritur, sensu adhiberi a poetis saepe uidetur; uelut Lucan. II 645;
Lucan. V 390 (ubi non de loco, sed de tempore agitur)

signauit tempora digna
maesta nota

VII 410 (sine ablatiuo; sed sequens *nescire*, qui sensus in uerbo *signare* insit, probe indicat)

tempora signauit leuiorum Roma malorum,
hunc uoluit nescire diem.

Sil. Ital. Pun. XIII 397

ubi signat Auerni
squalentem introitum stagnans Acherusius humor.

Stat. Theb. IV 763

magna lucus signabitur ara.

id. VI 681

fixa signatur terra sagitta.

Martial. Epigr. I LIII 1

una est in nostris tua, Fidentine, libellis
pagina, sed certa domini signata figura

IX 27

nec regnum cupiens gessit ciuilia bella
nec seruire timens.

Francken — codicem R secutus — praebet *seruile*, cuius lectionis mentionem fecit Hosius. Sed hic non agitur de iusta ciuilis belli causa, sed exaggeratione uere Lucanea de uiro, qui non sibi ne seruitutem quidem timens consulat, sed ciuitati et rei publicae uelit consultum; cfr uu. 28 sq.

nil causa fecit in armis
ille sua.

II 239

inuenit insomni uoluentem publica cura
fata uirum casusque urbis cunctisque timentem
securumque sui.

Haec stoico sane digna. Accedit — id quod maximi profecto est momenti —, quod rite sibi opponuntur *seruire* (= seruitutem) *timens* et *regnum cupiens.* E uersibus 28 sq. sequitur, ut prorsus respuenda sit Trilleri coniectura: *sed seruire timens.*

IX 37

inde Cythera petit, boreaque urguente carinas
Creta fugit; Dictaea legit cedentibus undis
littora.

Francken, ut quem pigeat *Dictaea legit* e. q. s. per epexegesin addita esse credere — tum enim requiri pqpf. *legerat* —. Guyeti aut Hensii coniecturam, *subit*, recipit. Quod ita se haberet, si *fugit* significaret ex oculis, e conspectu fugit; sed credo hoc uerbum ita accipiendum esse, ut explicat Haskins: »'Crete flies from them', i. e. seems to do so, as they fly along its shores.» Sed locus ille, quo hunc, de quo disputatur, munitum uult, huc uix pertinet:

Verg. Aen. III 72

prouehimur portu, terraeque urbesque recedunt.

Eodem de genere esse uidetur quo Vergilianus ille

Ouid. Metam. VI 512

admotumque fretum remis tellusque repulsa est

Utroque loco uerba mouendi idem significare quod paullatim euanescere uidentur. Sed hunc Lucaneum locus Valerianus fulcire uidetur,

Val. Flacc. Argon. V 101

acrius in remos rediit ratis, ac fugit omne
Crobiali latus et fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium

Cum tali uerbi *fugit* sensu epexegesis per praesens inducta apte coniungitur. Epexegesis raro ita apud Lucanum additur; exempli loco afferre licet

V 719

praetereunt frustra temptati littora Lissi
Nymphaeumque tenent; nudas aquilonibus undas
succedens boreae iam portum fecerat auster.

IX 106

numquam ueniemus ad enses
aut laqueos aut praecipites per inania iactus.
turpe mori est post te solo non posse dolore.

Francken haec: »Quasi uero enses, laquei, praecipites saltus non doloris indicia essent. Sed excusatur Lucanus . . ., quod dolor externat animum et saepe tam absurdus est in sui opprobrio quam in consolatione.» Sed h. l. non eget omnino Lucanus patrono. Agitur enim de mortis instrumentis; quae — exaggeratione uere Lucanea — non externa ostendit fore Cornelia, nam abrepto tam caro capite dolorem solum per se ut mortis causam ita instrumentum quoque tabescenti fore.

IX 153

non ego Pellaeas arces adytisque retectum
corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?

Kortte coniecit *arcas:* perbene uero Burmann *Pellaeis arcis*, quam lectionem merito recepit Francken, attulit in notis criticis Hosius (1905). His uersibus usque ad 159 de personis tantum agitur, quare ualde offendit arcium mentio. Accedit, quod Pompeio nudo et insepulto (quae filii erat opinio) nihil melius opponitur quam Alexander adytis arcisque (an pluribus?

sed pluralis *arcis* poeticus esse potest) tectus. Ex *arcis* (> *arces*) parum intellecto originem corruptelae repetere licet.

IX 206

nunc et ficta (sc. libertas) *perit. non iam regnare pudebit.*
nec color imperii nec frons erit ulla senatus.

Haskins — semel dormitans — ita interpretatur: »nor will there be any decent veil for empire, nor any shame on the senate's part.» Francken bene: ». . . *color* . . . significatio fallacis speciei s. praetextus . . . *Frons* h. l. est (honesta) species.» *Imperium* h. l. iniuria Haskins idem significare arbitratur quod regnum, principatum (angl. »empire»). Sed h. l. regno (= *regnare*, u. 206) opponitur imperium, quo nomine per spatium liberae rei publicae annuam potestatem nacti erant summi magistratus. Alterum libertatis pristinae columen atque arx ualidissima fuerat senatus. Cfr
IX 194

rectorque senatus,
sed regnantis, erat.

Ceterum quantam uim in senatu ipso per se inesse ad libertatem seruandam sibi persuaserint Romani, e locis uidere licet, qualis est Liu. II I 9—10. *Imperii* et *senatus* genetiuos definitiuos esse apparet. *Frons* hoc sensu adhibetur
IX 1063

adquiritque fidem simulati fronte doloris

IX 1106 (huc pertinere uidetur; nisi forte hic *fronte* sensum primigenium retinuit)

abscondunt gemitus et pectora laeta
fronte tegunt

Conferre licet IX 739 sq. *ipsaque leti frons caret inuidia* et III 71 *agmina . . non armata . . sed pacis habentia uultum.*

IX 228

Phrygii sonus increpat aeris:
attonitae posuere fugam studiumque laboris
floriferi repetunt et sparsi mellis amorem

Pro *Phrygii* Heinsius, cui astipulatur Francken, propter *tum si* paucorum codicum (A B D [E?]; m = *tursi*) praebuit

tunsi ingeniose, quod in huius loci sensum probe quadrat. Sed lectio *ut frigii* (C) suspicionem mouet lectione *tum si* antiquos librarios doctiores conatos esse explicare atque etiam sanare hunc locum propter intricatam sententiarum structuram antiquis iam negotium exhibentem. Quod ad interpunctionem pertinet, minus apte distinguit E. Trampe (De re metr. p. 51), qui post *aeris* plene interpungendo haec ad antecedentia trahit (*Phrygii* — *aeris*). Nam oblitus antecedentia re uera esse protases poeta in meram descriptionem aberrauit, unde per anacoluthon redit. Ad modum uerbi *increpat* iam pergamus. Atque Oudendorp, Hosius (1892), Francken ediderunt *increpet*. Quod ut uerum inuenerint, ualde uereor. In omnibus enim exemplis, quibus in parataxi idem quod periodus hypothetica ualente usurpatur coniunctiuus, ratio subesse uidetur »potentialis».

Indicatiuus:

IV 213 (ind. propter negationem ad uim concessiui coni. accedit)
non potes hoc causae, miles, praestare, senatus
adsertor uicto redeas ut Caesare: certe,
ut uincare, potes.

Addendus est hic locus profecto, de quo disputatur, id quod uidit Hosius post editionem a. 1892 emissam. Apud poetas alios raro occurrit; uelut

Verg. Aen. I 572
uoltis et his mecum pariter considere regnis:
urbem quam statuo uestra est, subducite naues.

Ouid. Metam. VIII 28 sq. (plura exempla)
torserat adductis hastilia lenta lacertis:
laudabat uirgo iunctam cum uiribus artem.

Iuuenal. Sat. III 100
rides, maiore cachinno
concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici

Coniunctiuus:

VIII 417
haereat eoae uolnus miserabile sortis:
non solum auxilium funesto ab rege petisse,
sed gessisse prius bellum ciuile pudebit.

X 191

spes sit mihi certa uidendi
Niliacos fontes: bellum ciuile relinquam.

Incertus locus est III 324 sqq.
Ouid. Ars amat. II 41

per Styga detur iter, Stygias tranabimus undas.

Stat. Theb. II 242

mutatosque uelint transsumere cultus,
et Pallas deceat pharetras et Delia cristas.

Coniunctiuus ex uoluntatiuo eius modi usu originem repetere potest. Ex optatiuo irreali deriuari posse uidetur coni. impf., qui sententiam condicionalem irreali ui praeditam ualet; uelut

Verg. Aen. VI 30

tu quoque magnam
partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

IX 385

durum iter ad leges patriaeque ruentis amorem.

Mihiquidem placet cum Franckeno hunc uersum per se absolutum arbitrari. Hosius secutus codicem C legit *amore*, quod uerbum ad sequentia uerba *ueniant* et *temptent* refert. Sed in coniunctis uerbis, quae sunt *patriae . . . amore* et *si quibus . . . ire sat est*, inesse uidetur duplex quaedam ratio, quae me quidem laedit. Cato, qui stoicorum more breuius loquitur, hoc uult: »durum iter est eundum, quicumque leges seruare et pugnando patriae amorem praestare uolet». Minus apte Fr. *patriae* genetiuum subiectiuum esse ait; esse uidetur obiectiuus. Quod ad sententiam conferre licet cum hoc loco II 281

quod si pro legibus arma
ferre iuuat patriis libertatemque tueri

Samse aliquid excidisse — iniuria, credo — ratus, sic lacunam supplet

durum iter ad leges < patrias; accersite, ciues,
uirtutem ueterem > patriaeque ruentis amorem.

IX 406

sic ille calentes
incendit uirtute animos et amore laborum

Ita codices M A E V D G, U in ras.; Z v u *pauentes* — quam lectionem quin correctoris ingenio debeamus, non poetae ipsius, mihi dubium non est — Hosio et Haskinso astipulantibus. Heitland Cl R a. 1895 p. 155 ingeniose coniecit *cadentes*, quod recepit Francken. Sed retinenda esse uidetur lectio codicum plurimorum. Conferas uelim locos illos, ubi prolepticus * ptcpii perf. usus exstat; ex. gr.

II 536
iam tetigit sanguis pollutos Caesaris enses

III 261
at Tigrim subito tellus absorbet hiatu
occultosque tegit cursus

V 60
cingere Pellaeo pressos diademate crines
permissum

VII 654
trahere omnia secum
mersa iuuat

Cfr Sen. Oedip. 416
spargere effusos sine lege crines

Adiectiua eodem modo adhibentur saepius; ex. gr. I 246; 305; V 724 sq.; VIII 269 sqq.; IX 620 sqq.

Vertendum: »Så eldar han deras sinnen, så att de glöda af mod och . . .»

IX 508

quanto poena tu dignior ista es,
qui populo sitiente bibas!

Sine causa h. l. haeserunt docti uiri. Haskins: »*poena — ista* i. e. this punishment which I inflict on myself, viz. to go without drinking». Sed hoc nullo modo coniungi potest cum iis uerbis, quae paullo ante locutus est,

* Cfr Jahns Jhrb. a. 1893 p. 350, ubi Hosius de hac re cogitare uidetur.

IX 402

serpens, sitis, ardor, harenae
dulcia uirtuti; gaudet patientia duris

Francken neque de poena sermonem fuisse neque militem bibisse ostendens conicit: *quanta poena tu, dignior iste est, qui populo sitiente bibat.* Acute excogitatae emendationi id tantum obstat, quod sic omnia prope uerba corriguntur, nec grauitas stoico digna uerbis Catonis elaboratur. Damsté quidem (Mnemosyne XIX pp. 378—386) conicit »pro *ista: isto* et pro *bibas: bibat* = »quanto tu, qui . . . . . ., dignior es poena quam iste, qui bibat populo sitiente». Sed haec stoico quouis nullo modo digna sunt, nedum Catoni. Lectio uero codicum unice uera est; nam omnis difficultas tolletur, *dignior* adiectiuo si et *poena* . . . *ista* et epexegetice additam sententiam *qui* . . . *bibas* regi constituamus. Ergo:

1) poena tu dignior es ista (sc. quam ultro mihi obtrudere uis)

2) dignior quam ego multo es tu, qui populo sitiente bibas.

Dignus adiectiuum cum relatiua sententia coniunctum inuenimus
VI 602

dignum, quod quaerere cures

Sententia: »Du solltest vielmehr selber trinken müssen als Strafe dafür, dass du mir solch eine gemeine Gesinnung zugetraut hast.» Haec exaggeratio — qua aliis sitientibus bibere uiro forti poena sit —, Lucano sane digna, ad Catonem uirtutis laude celebrandum mirum quantum ualet. Samseum mihi consentire de hoc loco interpraetando laetus uidi.

IX 568

an sit uita nihil, sed longa an differat aetas?

Sic hunc locum cum codicibus constitutum interpungere placet. In hoc loco interpretando atque emendando multum desudarunt docti uiri. Editio Romana (a. 1469) praebet: *an . . . sed longa? an . . . aetas?* Ubi *sed* ad *nihil* referendum idem ualere uidetur quod nisi, qui usus, si admittatur, ex imitatione Graecorum fluere potuit (*ἀλλά* = *εἰ μή*). Sed quare obscurior uox (*sed*) sumpta est, quum metrum aeque admittat

alteram (nisi) aptiorem? Alia quoque res obstat, quae maioris momenti est; de qua re ad sententiarum inter se nexum pertinente uide infra. Ceterum de hoc loco quot homines tot sententiae. Quarum qui curiosus erit, notam a Franckeno huic loco subditam inspicito. Mihiquidem nulla emendatio prolata satis placet. Kortte quidem, cui astipulantur Weise-Haskins alii multi, conicit: *an sit uita nihil, et longa? an differat aetas?* Cui emendatio obstant et metrica ratio et rerum inter se nexus. Nam apud Lucanum alteram *nihil* uerbi syllabam breuem esse constat (cfr I 37; II 515; III 39; 371; VII 666; ubique in primo pede), quam ne in caesura quidem producere sibi permisisse Lucanum credo. Accedit, quod h. l. dilemmati locus non esse uidetur, alias hic fictas quaestiones si conferimus. Notandus u. 572 *scimus, et hoc nobis non altius inseret Hammon.*

Etenim ubique sententia, quae in unaquaque quaestione inest, oraculo comprobanda firmandaque est. Idem dicendum contra Francken, qui Canterum secutus legit (in nota): *an ... nec longa, an differat aetas? nec* = ne — quidem (cfr VIII 206; 497; IX 681; X 146). Madvig quidem ut ubique acute (Aduersar. crit. II 133): *an sit uita breuis, nil, longane, d. ae.* Nec tamen probanda uidetur emendatio; neque enim contraria illa uerba *breuis* et *longa* potuerunt, quin alterum alterum tuerentur, et *aetas* molestum est. Hosius uero Oudendorpum secutus praebet: *an sit uita nihil? si longa, an differat aetas?* Cui lectioni uis illa atque grauitas deesse uidetur, quae exigenda est. Legendum denique uidetur cum codicibus *an sit uita nihil, sed longa an differat aetas?*

H. l. Catonem respexisse finem uitae suae quis non uidet? Iam dicere uoluit, quum secundum disciplinam suam ne uita ipsa quidem esset nisi *ἀδιάφορον* (nihil), non opus esse quaerere, an esset alicuius momenti uitae longitudo. Vertendum: »soll ich den fragen, ob das Leben zwar nichts ist, aber dennoch an einer langen Lebensdauer etwas gelegen ist?» — Hoc uerbo *differre* quin reddatur Graecorum illud *διαφέρειν*, dubium uix est. Notandae sunt significationes duae uerbi latini, quod est interest: 1) verschieden sein 2) von Wichtigkeit sein. Quae significationes, ubi annectitur interrogatio disiunctiua, eodem redeunt. — Antithesi ea, quam constituimus, absurditas contrariae sententiae comprobatur ualide et

grauiter exponitur placitum illud stoicorum, quod affert Cicero De fin. III 45: *Stoicis non uidetur optabilior nec magis expetenda beata uita, si sit longa, quam si breuis.*

IX 605

plaga, qua nullam superi mortalibus ultra
a medio fecere die, calcatur

Codices V G m pro *qua* exhibent *quam;* U pro *ultra* praebet *umbram.* Francken lectionem codicis U recepit. Lectio uulgata, quam receperunt Weise-Haskins, haec est: *quam . . . ultra.* Lucanus ostendere uoluit nullam terram hac propiorem fuisse soli meridionali, cuius radii a uertice in hominum capita inciderent. De sole meridionali et noto terga, non aduersum os ferientibus paullo post agi monendi sunt legentes; cfr

IX 876

imus in aduersos axes, euoluimur orbe,
terga damus ferienda noto

Restat, ut *qua* uerbum quid sibi uelit, explicem. Credo equidem esse ablatiuum comparationis. Mitto, quod suffixo comparatiuo -ter-o- (-ter-a) addito hoc uerbum *ult(e)ra* fictum constat; sed in hoc uerbo uim et sensum uere comparatiua inesse apparet. Quo factum est, ut Lucanus ipse post *ultra* semel poneret *quam,*

IV 476

libera non ultra parua quam nocte iuuentus

Quod ad sensum cum loco eo, quem tractamus, conferri potest

IX 867

sed longius ista
nulla iacet tellus

IX 747

non decus imperii, non maesti iura Catonis
ardentem tenuere uirum, ne spargere signa
auderet

Francken de signo frangendo uerba facit. Attamen affert VIII 100 *sparge mari comitem,* ubi diuidendi in uarias partes

significationem plane oblitteratam esse concedit. Haskins locum nostrum uertit 'throw away'. Verbum *spargere* oppositum esse constat uerbo, quod est *colligere:* cfr Lucan. I 606 sq. *dispersos fulminis ignes | colligit;* Val. Flacc. Argon. V 432 *sparsumque recolligit axem.* Tum uero non alienum erit conferre eum uerbi *colligere* usum, quem commemorauerunt P. Langen ad Val. Flacc. Argon. V 432; M. Petschenig Woelfflini Arch. VIII p. 140; C. Weyman id. VIII 482; IX 135; cfr. Bursians Jahresber. a. 1898 p. 120. Locis ibi allatis *colligere* significare uidemus non dissipata in unum locum congerere, sed tollere tantum. *Spargere* eodem sensu quo hic Lucanus adhibuit V 172 sq. *spargitque uaganti obstantes tripodas. Tripodas* pluralis poeticus est; cfr V 151 sq.; 162; 198; 223. *Spargere* h. l. = »hinwerfen» (suet. »slänga ifrån sig, åt sidan»).

IX 1104

nec talia fatus
inuenit fletus comitem

Francken lectionem codicum G_1 u *comitum* recepit uulgatam lectionem parum intelligens, quasi *fletus* subiecti uicibus fungi necesse sit. Hosius B Ph W a. 1898 p. 425 *fletus* genetiuum esse et a *comitem* uerbo regi ostendit. Structurae eiusmodi exemplum affert de Sen. philos. sumptum (*doloris comes*), alterum de Val. Flacco sumptum (*casus comitem*). Afferri fortasse potest Lucaneus locus unus,

II 346

non me laetorum comitem rebusque secundis
accipis

Sed alteram, quae exstat, lectionem (*laetorum sociam*) recepit Hosius.

X 23

fortuna pepercit
manibus, et regni durauit ad ultima fatum.
nam sibi libertas umquam si redderet orbem,
ludibrio seruatus erat

Nulla interpretationum, quas uidi, satisfacere uidetur. Ad notas ab Haskinso et Franckeno textui subditas eos relego,

quos inueniendi sollertia delectat. Mihiquidem apparet primum non temere particula explanatiua inter se coniungi *pepercit . . . durauit* et *ludibrio seruatus erat.* Deinde non licere uerba, quae sunt *seruatus erat*, pro condicionali apodosi accipiamus; sic enim nullus, quod intelligam, euadit sensus ueri similis. *Seruatus erat* pqpf. idem fere ualet quod perf.; quod in compellanda fortuna uel natura bis usu uenit, VII 110 sq.; IX 855 sqq.; cfr praeterea IX 1075 sq. Tum quid significet sententia condicionalis *si redderet*, continuo elucet. Haec omnia nihil nisi hoc significant: »fortuna (uel fatum) corpus tyranni lacerandi seruauit (cfr supra *spargenda per orbem membra*), nec tamen in sempiternum, sed *ad ultima* tantum *regni* dilatauit tempus, quo discreperetur corpus; libertate per totum orbem terrarum gentibus restituta ludibrio debebatur (= discerpendum erat)». *Ludibrium* hoc sensu adhibet Lucanus VIII 709

carpitur in scopulis hausto per uolnera fluctu,
ludibrium pelagi

IX 14

risitque sui ludibria trunci.

Durare transitiuo sensu adhibetur a Lucano V 797 sq. *cetera damna | durata iam mente malis firmaque tulerunt;* VI 93 sq. *unda . . . durauit uiscera caeno. Durauit manes* = »obstitit, quominus dissolueretur corpus mortuum». *Ad ultima regni* = »ad finem dominationis aeui». Genetiuus ita neutro plur. superlatiui saepe regitur apud Lucanum, sed plerumque locali sensu; de qua re uide Obermeier l. l. pp. 48 sq. —

X 104

nequidquam duras tentasset Caesaris aures:
uoltus adest precibus, faciesque incesta perorat.
exigit infandam corrupto iudice noctem.

Haskins recte: »*exigit:* she passes». Exempla affert eius usus VIII 376; X 354. Addi potest 949 *exegere hiemem nimbis flammisque carentem.* Quocum infandam exegerit Cleopatra noctem, indicant uu. *corrupto iudice. Iudex* erat Caesar, quem amoris corruptela sibi conciliauit Cl., ut arbiter factus ipsam in amicitiam fratris et in societatem regni restitueret. Francken

uerba, quae sunt *corrupto iudice*, parum intelligens mira profert de nocte a Cleopatra postulata, »quae cum inuocatus iudex *iam * captut esset* illecebris, facile promittitur». Bentley: *corrupto iudice dotem.* Quod ad *corrupto iudice* pertinet, monendum uidetur apud scriptores Latinos interdum in ablatiuo absoluto, qui uocatur, adhiberi ptcp. perf. ita, ut significet actionem uerbum principale non antecedentem, sed comitantem ac raro etiam consequentem. Vetustissimum exemplum esse uidetur C. I. L. I 1175 (Dedicatio Sorana Vertuleiorum)

Quod ... | pater ... uouit, uoto hoc soluto | decuma facta poloucta leibereis lubetes | donum danunt Hercolei = »barnen bringa glada Hercules en gåfva genom öfligt frambärande af tionde och infria så det löfte, fadern gaf.» Alia exempla Lucanea sunt:

IV 126

seruatoque loco rerum discessit ab astris
humor

IV 613

perfundit membra liquore
hospes Olympiacae seruato more palaestrae

VI 243

adorato summittat Caesare signa.

VI 340

excipit aduersos zephyros et iapyga Pindus
et maturato praecidit uespere lucem

VI 479

impulsam sidere Thetyn
reppulit Haemonium defenso littore carmen.

VI 626

corpora caesorum tumulis proiecta negatis.

IX 459

uolitantque a culmine raptae
detecto Garamante casae.

De quo usu uide Schmalz[3] p. 309; Draeger II p. 764 sq.; praecipue K. Brugmann I. F. V (pp. 89—152) pp. 143 sq.; v. Planta Gramm. d. osk.-umbr. Spr. II 436.

* Caesarem amoris illecebris captum iam esse e uersibus 68 sq. concludere non licet; nam uersibus 60—81 omnia futuri temporis dedecora et pericula, quaecumque a Cleopatrae uenustatis lenocinio originem repetierunt, animo complectitur poeta.

X 107

pax ubi parta duci donisque ingentibus empta est,
excepere epulae tantarum gaudia rerum.

Francken negat uerbum *pax* significare reconciliationem fratris et sororis, quare cum Bentleio legendum censet *ducis*. Sed omnia, quae supra demonstrata sunt, quorsum tendant, consideranti — ad fratrem Cleopatrae reconciliandum — dubium mihi non est, quin de Caesare pacis domesticae sequestro hic agatur. *Tantarum gaudia rerum* de reconciliatione uidelicet dictum. Paullo infra fratrem et sororem una cenasse ostendit poeta uu. 136 sq.

discubuere toris reges maiorque potestas,
Caesar

Reges enim de proceribus dici ideo credi non potest, quod ita misere frigeret *maiorque potestas, Caesar. Reges* uox regem et reginam (eorumque liberos) saepe significat Liu. I XXXIX 2; II II 11; II III 5; XLV XIII *regibus Aegypti, Ptolemaeo Cleopatraeque, si quid per se boni commodique euenisset, id magnopere senatum laetari . . .;* cfr Lucan. II 636 sq. *Pharios hinc concute reges | Tigranemque meum;* III 29 sq. *regesque silentum | permisere sequi;* Pluto et Proserpina appellantur VI 65 *Tartarei reges.* — *Donisque ingentibus empta est* dicitur de donis, quae sibi inuicem dedisse, qui ante aduersarii in amicitiam redibant, antiquis temporibus constat. *Emere* apte adhibetur, nam priscis temporibus ita in uicem allatis donis non modo *ξείνια*, sed etiam principio pacis emptionem simulatam esse credi potest. Vertendum: »Nachdem es C. gelungen war eine Versöhnung herzustellen und diese gegenseitig durch grosse Geschenke gekauft worden war, . . .» —

X 181

si Cecropium sua sacra Platonem
maiores docuere tui, quis dignior umquam
hoc fuit auditu mundique capacior hospes?

Francken: »Quis hospes (conuiuis suis) umquam dignior fuit auditu quam sacerdos Aegyptiacus? Burm. de Caesare intelligit, at sic in *auditu* haeret. *Hospes* = conuiua.» Sed hic hospiti Platoni alter opponitur hospes (= aduena), Caesar.

Mundi capacior explicatur paullo infra, ubi praedicat Caesar suae uirtutis confidentia elatus, uu. 185 sqq.

media inter proelia semper
stellarum caelique plagis superisque uacaui,
nec meus Eudoxi uincetur fastibus annus.

Ergo: »Si Platonem hospitem dignum putarunt maiores tui, qui etiam sacra uestra cognosceret, me de his certe rebus docere dignaberis, nam quis hospes me dignior fuit?» Quid uero sibi uult illud *auditu?* Ubi antecedenti uerbo *docere* opponitur uerbum *audire*, continuo uidelicet efficitur huic uerbo sensus modo non totus absolutus = »sitta som åhörare»; atque opponitur iure passiuo sensu uerbum, quod est *audire*, uerbo *docere* = varda undervisad.

X 223

adde, quod omne caput fluuii, quodcumque soluta
praecipitat glacies, ingresso uere tumescit

Francken coniecit *solutas*. »Fons fluuii manet semper suo loco nec potest nisi admodum improprie praecipitari. Contra fons praecipitat deorsum aquam glacialem.» Sed h. l. agitur uidelicet de aqua fontis et fluminis; cfr

III 235

quaque ferens rapidum diuiso gurgite fontem
uastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen

IX 960

Euxinumque ferens paruo ruat ore Propontis.

De fluminum aqua adhibitum *praecipitare* significat rapidum (rapidiorem) reddere; ex. gr.

V 465

at Genusum nunc sole niues, nunc imbre solutae
praecipitant.

VI 475 *Rhodanumque morantem*
praecipitauit Arar

Cfr I 433

qua Rhodanus raptum uelocibus undis
in mare fert Ararim

Conferre licet, quae de Araris leni cursu traduntur Caes. B. G. I XII 1.

ARGUMENTUM:


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 30 27 11 023 3